
DISSERTATIO PRÆLIMINARIS

De

OPINIONE, JOHAN-BALTHASARIS SCHUPPII, ELOQUENTIÆ ET Hiſtoriarum Profeſſoris in Academia Marpurgenſi.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



RINTELII,
Typis exſcripſit PETRUS LUCIUS.

M. DC. XL.

n 18

ANTIQUA GENTE ET GENE-rosâmente Nobiliſſimo

DOMINO RUDOLPHO WILHELMO Rauw / ab & in Holtzhauſen / Equiti Heſſo,

Domino & amico ſuo ſingulari ſingulariterq; honorando. S. P. P.

JOHAN BALTHASAR SCHUPPIUS, PROFESSOR MARPURGENSIS.

DUdum tibi conſecrare volui opuſculum quoddam literarium, partim ut mutuæ amicitiæ noſtræ cippum publicum erigerem, partim ut libello patronum præficerem, qui eum cum tempore & perſonâ defendere tam poſſit, quam velit. Sed idem mihi contingit, quod Capnio olim de ſtudioſis juris dicebat, eos primo anno poſſe dijudicare omnes controverſias, ſecundo dubitare, tertio nihil ſcire. Nam & meditationes meæ de die in diem magis magisq; mihi diſplicent. Cucurbita olim conſita fuit ad radicem palmæ & largis imbribus irrigata ſtirpi palmæ innitens ad cacumina ejus paucis diebus ſurrexit, interrogavit deinde palmam, quot annis ad tantam proceritatem venerit? cui palma reſpondit, annis non minus centum. O quantò igitur te melior ſum, regeſſit cucurbita, quæ non centum dies creſcendo confe-

ci & tuam exæquavi altitudinem. Tandem verò radix cucurbitæ, amiſſo ſucco, areſcere incipiens, futilitatem ſuam ultrò confeſſa eſt. Quoties fabula hæc in mentem mihi venit, vereor ſapientes, qui & mento & mente caneſcunt, quandoq; cogitare, ô tempora! ô mores! Quid tandem in mentem venit hominibus, qui ſic ineptè, ſic intempeſtivè ſibi placent, ut cum ne barbarè quidem febrilia ſua ſomnia eloqui poſſint, ſcriptitent tamen, & celebrem nominis infamiam magnis conatib. ambiant. Anne templum Minervæ ruinã minaretur, niſi novi hi Atlantes giganteos humeros ſuos ſupponerent? Ut nunc ſunt tempora, parum ſapere videtur, niſi qui tomos aliquot ad magnitudinem Calepini ex centum authoribus conſcripſit, ut miſero lectori & tempus & pecuniam furari poſſit. O ineptiæ! In itinere ad Eruditionem peragendo, viatici loco præſtat unica Roſa nobilis, quàm 100 albi Suetici, quos Rundeſtück vocant. Magnus liber, indicium quidem eſt magni laboris, ſed ingenii judiciiq; non admodum magni. Mendici plerunq; plures numerant liberos, quàm divites. Itaque quò quis eſt indoctior, eò audacior eſt in libris promulgandis. Miror illos homines à Monarchis quandoq; privilegia petere, ne ſua ulla illa ſubmittantur furtivæ incudi Typographicæ! Si ſaperent, privilegia peterent, ne quis iis abuteretur in locis illis, quos petunt fatui. Cum curæ hæ mentem meam nuper impleverunt, reluctantem libidinem meam, & quandoq; damnantem hanc patientiam utcunque coegi, ut taceret & lateret, donec fortaſſe major ætas judicium confirmaret. Sat citò, ſi ſat benè. Interim hanc promiſſam opuſculum ſupprimo, offero tibi hanc diſſertationem, quâ præſcribere volui, quod ſolent improbi debitores, qui alieno ære depreſſi, creditorem donis quibuſdam culinaribus mulcent, cupiuntq; ſaltem ſic fœnoris nexu obligari. Quanquam ſine ſcriptis meis ſat felix & ſapiens eſſe potes. Sæpe judicavi compendium priſcæ ſapientiæ vide-

rian

rii in Epicteto & tabula Cebetis Philoſophi Thebani. Nervum eloquentiæ eſſe in declamationibus Senecæ & Quintiliani. Theatrum prudentiæ politicæ eſſe Tacitum atq; inprimis vitam Agricolæ ab eo deſcriptam. Cui addendas puto aut vitas Plutarchi aut Platonem de Rep. aut Ariſtotelem à Celeberrimo Heinſio recenſitum. Gratiùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Sanè, non adeo hoſpes es & in his & in aliis ſcriptorib. Romanis. Aſt poſt varias obſervationes, quas in iis notâſti, unicã accipe à Schuppio tuo. Si Deus te admoverit faſtigio, cui generoſa pectoris tui indoles te deſtinat, SCHOLAS *promove & ruſticis patrocinare. Sic tandẽ miraberis te patriæ tuæ ſolida poſuiſſe fundamenta utriuſq; politiæ. Cæterùm, per æternum decus tuæ gentis, per luculentiſſimas Majorum tuorum imagines, per egregiam indolem, per ſapientiæ laudem, cui ſemper ſtuduiſti, per meam patriæq; expectationem, per bene auſpicata laudum tuarum initia te obteſtor, ut properes implere ſpem de te jam dudum conceptam. Concipe priſcos ſpiritus tuos, & animum diuturno morbo nonnihil fractum novâ generoſitate recollige, & vel literis vel armis aſſequere aut vitam aut mortem glorioſam. Fac, ut in te propediem videamus ſapientiam avitam, facundiam patrui & artes aulicas atque equeſtres optimi patris tui, quem natura reduxiſſe videtur, ut aut omnibus præſit aut nulli noceat. Da veniam tacitæ ambitioni meæ, qua mihi ipſi [illegible] gratulatus ſum, quoties peregrinis in locis alii venerati ſunt [illegible] tuorum robur, alii in juvenili corpore tuo maturum judicium, & cætera bona, propter quæ ſenectutem laudamus. Hæc [illegible] jam adhortandi gratiâ ſcribo, non proficiſcuntur ex aliqua diffidentia, ſed à ſingulari in te amore. Non equidem ſpero fore aliquid tam magnificum, quod virtus tua non aliquando [illegible] præſtiterit. Attamen, qui in certaminibus ſpectant, tametſi nihil opus eſſe ſciunt, tamen non poſſunt non vel manibus*

 velo-

vel oculis adhortari & ſtimulare eum, cui valde favent. Et quãquam is qui certat, ſuæ virtutis conſcius, ſecurus eſt ab animo, tamen fautor ille ſecurus eſſe non poteſt, donec certam videt victoriam. Calamus hic meus geſtit eſſe organon tuæ immortalitatis, nihilq; magis optat, quam novas ſubinde materias tibi gratulandi. Si aliquando ſolis artibus Theologicis relictus fuero, non deſinam aſſiduis precibus cœlum fatigare, ut actiones tuas omni benedictionum genere fœcundet. Tu interim ſtrenuè ſaltem labora. Quò eris laborioſior, eò eris benedictior. Vale ſlos juvenum, ſpes patriæ, decus familiæ Tuæ, & me ut amas ama. Dab. Marp.

PROGRAMMA.

IOHAN-BALTHASAR SCHUPPIUS, ELOQUENTIAE PROFESSOR, OMNIbus bonæ mentis Candidatis in Academia Marpurgenſi, S. P. P.

CRas hora II. Deo volente, in Auditorio Philoſophico, dicturus ſum de re quadam mirabili, nunquam â vobis viſâ aut auditâ, quam neq; in Dictionario, neq; in Calepino, neq; in Metaphyſicorum, neque Phyſicorum neque Mathematicorum, neque Politicorum, neq; Hiſtoricorum libris invenietis. Res mirabilis eſt, quòd omnia in fortunæ rotâ modò aſcendant, modò deſcendãt, veluti ſervus & ancilla. Res mirabilis eſt, quod omnes cornices ſint nigræ, quod ratti tam citò currant ac mures, quod feles nequam poſt cœnam denſis tenebris, ſine lumine, ſine gladio, ſine pileo, nudis auribus pedibuſque, ſine crepidis & calceis audeant aggredi ingentem exer-

citum honeſtiſſimorum murium. Res mirabilis eſt, quod aſinis ſe mutuò ſcabere liceat, ſaltem ob hanc unam rem, quia dicùnt ſe genealogiam ſuam deducere poſſe à tritavo illius aſini, cujus maxillâ Simſon occidit Philiſtæos. Res mirabilis eſt, quod ſæpe caballo ingrediatur homo, qui tam delectabilis ut ſtercus ſaccaratum, & tàm robuſtus, ut occidendo Priſciano vel ſolus ſufficere poſſit; qui uno oculo torvo tremorem incuteret integro exercitui muſcarum, qui aures tam longas habet, ſimiles auribus (ſalvâ reverentiâ) aſinorum; cujus naſus quàm diu vivit ſemper conſiſtit intra duos oculos; qui homines mortuos nunquam vidit in acie, ſed in patibulo; qui omnia ſigna habet, quæ debentur abſolutiſſimo Haſioni; quod inquã ejuſmodi homo ingrediatur caballo, imò etiam ab equis nonnunquam iterum ſaltet ad aſinos, & miſer Ariſtoteles ſemper cogatur ire pedes, etiamſi impletus ſit ſapientiâ à culo ad gurgulionẽ. Res mirabilis eſt, quod loquentibus Ungaricis Tullius ipſe tacere cogatur, & quod plus perſuadere poſſit anſer ſub pallio, quam Seneca & Quintilianus cum ſuis declamationibus & ſuaſoriis. Res mirabilis eſt, Pictores, Oratores atque Poëtas eò plus laudari, quò plus mentiuntur. Res mirabilis eſt, puellam adoleſcentem inveniri ſine amore, nundinas ſine fure, ſenem Judæum ſine divitiis. Sed de re longè mirabiliori vobis, Deo favente, cras dicam. Proinde venite, audite, favete, Valete. Dab. Marpurg.

M. DC. XXXIIX.

ORATIO.

SALVE VIR CLARISSIME,

SALVE QVOQVE NOBILISSIMA STVDIOSOrum cohors, ſpes poſterorum, ſeminarium utriuſq; reipublicæ, Salvete o pectora generoſa, ad laudem & decus nata.

CElebratur jam feſtum Martini, ubi pleriq; ſe non poſſunt continere intra ſobrietatem veterum Sabinorum. Debeo igitur vobis gratias grandes & ſolidas, quod ſpumantia pocula in menſis veſtris relinquere & ad me audiendum tanta copiâ cōvolare volueritis. Promiſi me vobis dicturum de re quadam mirabili nunquàm à vobis viſâ. Promiſſo illi ut ſatisfaciam, jubeo vos intueri hunc *cultrum* meum, quem ita me Germana fides amet, nemo veſtrum vidit unquam. *Culter* hic eam naturam habet, ut poſſit penetrare aquam frigidam & nunquam calefactam. Si Phyſici eſtis, dicite mihi rei hujus cauſam. Si neſcitis, dicite me vobis hodie propoſuiſſe rem mirabilem, cujus cauſam intellectus Ariſtotelis nunquam indagârit. §. Nolite aut ridere aut indignari, Auditores optimi. Sed potius evidenti hoc exemplo diſcite, mundum univerſum regi *opinionibus*. Quia heri tam magnifica promiſſa prodegi, tanta Doctiſſimorum Auditorum copia convenit, quorum ſpes nunc fefellit OPINIO. Diſcite inquam quotquot adeſtis politici hoc modo mundum univerſum, omnia regna, omnes reſpublicas aut regi aut falli *opinionibus*. Multa videntur & non ſunt, multa ſunt & non videntur. Sagaciſſimus nequitiæ humanæ obſervator, apertiſſimus teſtis & nimis ingenuus recitator fuit Machiavellus Florentinus. Is candidè elocutus eſt, quod multi alii politici non modò ſentiunt & firmiter credunt, ſed & in univerſa vita

ſa vita

vita ſua faciunt. Interim tamen miſerrimus ille Machiavellus vituperatur ab omnibus. Execrantur eum Monarchæ, quia vident artes ſuas detectas eſſe. Execrantur eum Conſiliarii, quia vident conſcientias ſuas ab eo tangi. Execrantur eum ſubditi, & hâc miſeriarum luce excruciantur, ſtolidè credentes, mala ſua ex cerebro Machiavelli nata. Sed non nova ſunt Florentini illius præcepta. Ite in antiqua retrò ſecula, videbitis eandem ſæpe fabulam actam, ſed ab aliis perſonis. Machiavellum legere ſoleo, eo modo, quo legitur Grobianus. Quemadmodum Cyropœdia Xenophontis non eſt conſcripta ad fidem veræ hiſtoriæ, ſed ad exemplar juſti imperii, quemadmodum Virgilius Æneam, Plinius Trajanum deſcripſiſſe videntur, non quales fuerunt, ſed quales eſſe debuerunt; Ita Machiavellum contrariâ viâ principes quoſdam in Italia, quorum Deus Crumena fuit, voluntas lex, ambitio dux, temeritas ars, conſuetudo regula, deſcripſiſſe credo, non quales eſſe debent, ſed quales fuerunt. Non omninò illis defuit acumen, ſed pietas. At temporum illorum hiſtorias conſiderate, & miſerum acumen mecum deplorate. Hominum illorum fatum ad hanc hæreſin me deduxit, ut credam ipſam ſapientiam quandoque noxiam eſſe rebuspublicis Neutiquam aſſentior magno Platoni, qui illas demum reſpubl. beatas dixit, in quibus aut Philoſophi regnarent, aut regnantes Philoſopharentur. Mihi felices illæ videntur, in quibus Albertiſtæ, qui non intelligunt ſubtilitates Scotizantium, aut regunt aut reguntur. Nam Philoſophica illa ingenia, dum in publicis rebus omnia immutant, omnia pesſundant Leviſſima quæq; mutatio in politicis eſt periculoſa. Reformatio politica meo quidem judicio, nihil aliud eſt, quàm validiſſima extorſionum ſpecies, quâ ſimpliciores animi juſtâ indignatione exuuntur, & ad novam turpemq; patientiam remittuntur. Ingenti pompâ, magno ſtrepitu inter verborum ſeſquipedalium ampullas parturiunt montes. Quid naſcitur? Ridiculus mus. Is vulgi morbus eſt, ut auribus potius credat quàm oculis. Oculos, projectis nucibus fallere & faſcinare, facile eſt. Noſtrum eſt, mundum, qualis qualis ſit, ferre, neque ejus emendationem tam facilè ſperare. Etn. triſtis hæc lex impoſita eſt, ut ad exemplum noctuarum tantò cœcutiant profundius, quantò lumen circumiens habet copioſius.

Apud Albanos & Thraces, diu res per inſaniam floruerunt, qui ſolem diſci magnitudine eſſe, & cœlum ſcalis adiri poſſe putabant. Sub fatuo illo T. Claudio, Romana reſpubl. ſat felix erat. At ſub Tiberio Romani erant aſini, qui cogebantur ferre omnia onera, quæ aut Tiberii imponebat ambitio aut avaritia. Quoties mente percurro omnium ſeculorum hiſtorias, tacitè ridere ſoleo ad ineptias, quibus ab antiquis ſapientibus vexata eſt ſtolida plebs. Numa Pompilius fingebat, ſe concubuiſſe cum Egeria, atq; ab eadem leges accepiſſe. Egeriam nunquam vidit, leges ipſe excogitavit. Sic tamen numinis opinio perſuaſit, quod Regis authoritas non potuiſſet. Et quoties apud Romanos conſulti ſunt libri Sybillarum, & ex eorum præſcripto tàm multa imperata? An Sybillæ unquam fuerint in rerunrnatura, dubito ego, multò minus credo, quod libros vendiderint Romanis. Tiberius veterem rempubl. ubiq; præ ſe ferebat, cum eam deleret, nomen tribunitiæ poteſtatis ubiq; prætendebat, cum inſtar principis occuparet omnia. Mahomet mendaciis ſuis tam ingens ſtabilivit imperium. Quid eſt univerſa Oratoria? ars ingenioſè mentiendi. Ægyptii & Græci fingebant Neptunum cum tridente, Vulcanum cum face ardente, cupidinem cum ſagittis. His quaſi frenis trahebant retrahebantque ſtolidam plebem. Mundus univerſus, aut regitur aut fallitur opinionibus. Si putas ea, quæ jam nova ſunt & placent, ſemper placitura, OPINIO te fallit. Cur? quia non ſemper nova erunt. Aut me vehementer opinio fallit, aut olim multa bella geſta fuerunt non pro religione ſed pro pecunia. Et ſi pecunia non eſſet charior patriâ, plures fortaſſe invenirentur patriotæ. Sub Saturno quidam credunt fuiſſe ſeculum aureum, ſed *opinione* falluntur. Nos vivimus in ſeculo aureo. Nam qui hoc anno fuit vel ſartor vel ruſticus, poſt paucos annos fit Capitaneus, & veſtib. incedit auro gemmisq; crepantibus. Terentius optat eſſe miles ſenex, adeoq; mavult poſt fornacem quàm in acie militibus imperare; atq; ſic magnam famam ambire. Sed ab ignava *opinione* fallitur. Militis eſt aut fortiter interire aut vincere. Non moritur, quiſquis pro patria moritur. Ut palma contra impoſitum onus, ita maſculus animus contra fortunæ difficultatem debet erigi, & ultrò inſurgere. Viri nihil habet, q glorioſo labori ullum otium, ullam anteponit

volu-

voluptatem. *Opinio* ita ſæpe occæcat hominum animos, ut ſapientiſſimi Romani in bello civili inter Cæſarem & Pompejum orto, neſciverint, uter vel laude, vel vituperio dignus fuerit. Pompeji partes, inquit Paterculus, laudaret vir antiquus & gravis, prudens ſequeretur Cæſaris. Qui militibus ſtipendia non ſolvit, & vel diſciplinam militarem vel bonam ſperat famam, ab *opinione* vehementer fallitur. Sive in hoſtili ſive in amico agro exercitum habeat, peccat. In amico, prædæ indulget perperàm. Nam quid peccavit amicus tibi populus prædæ militari permiſſus? In quem ſævis, niſi in teipſum, qui in obſequentem tibi populum ſævis? In hoſtili verò agro miles prædæ intentus obliviſcetur diſciplinæ, & uno die perdet, quod alendo exercitui redituro per neſcio quot annos ſufficere potuiſſet. Si verò ita devaſtantem militem vel ferro vel funi addixeris, neq; Chriſtiani, neq; æqui partes obiveris. Nam quid faciet miles pecuniâ deſtitutus, prædâ negatâ? Aut fame peribit ut ignavus, aut fune ut improbus. Atq; ita miſerum militem, ſive prædas egerit ſive ab iiſdem abſtinuerit, certa mors manebit. Gelanorum, militem, parcum eſſe credidi. Sed *opinio* me fefellit. Nam ne ſua tantum prodigat, etiam aliena rapit. Qui cum ſapiente Romano credit, idem velle & idem nolle perfectam conſtituere amicitiam, ab *opinione* fallitur. Nam Ziphuſius vult dominium obtinere in caligas ſuas, idem vult probi Ziphuſii uxor. Ziphuſius non vult caligas ſuas dimittere, idem non vult Ziphuſii uxor. Hic vides idem velle & idem nolle, cauſam eſſe quotidianæ diſcordiæ. Qui credit ſuum cuique pulchrum ſemper eſſe, ab *opinione* fallitur. Nam Pontio vicini ſui uxor magis placet, vicino Pontii. Lauretani libentius vota ſolvunt Jacobo Compoſtellano & Compoſtellani malunt Mariæ Lauretanæ reddere. Thuſci Spadanas aquas Leodienſium, Leodienſes Thuſcorum Lucenſes æſtimant. Cato, fœminam adhuc uxorem ſuam negligebat, alii nuptam efflictim amabat. Et quotuſquiſq; ſorte ſuâ contentus vivit? Gellia aliis baſia non dat, ſed data ſumit. Si credis ô Corydon, te ideò ab ea contemni, *opinio* te fallit. Scit enim baſia accipiendo tibi reddi. Pontius ajebat, amorem eſſe ignem. Pontia reſpondebat, aut ab *opinione* falleris aut meus erga Te amor eſt ignis frigidus. Gellia putat, ſe tantæ formæ eſſe, ut ſi tempore belli Trojani

jani vixiſſet, Trojam oportuiſſet propter hanc formam perire. Sed ab *opinione* fallitur. Narciſſus credit ſe virum ſapientem eſſe. Sed ab *opinione* fallitur. Nam Cicero de Divinat. virum ſapientem eſſe miraculum. Aſt dicentibus Theologis noſtris, miracula hodie ceſſant. Ergo Narciſſus aut nondum fuit aut deſiit eſſe ſapiens. Si jam Paris renovatâ lite judicium ſuum ferre deberet de tribus Deabus, forſan *opinionem* ſuam mutaret & primas Junoni tribueret. Nam quid eſt Venus ſine pecunia? Mercatores ſæpe divites eſſe putatis. Sed *opinio* vos fallit. Neſcitis an dives ſit vel pauper, qui ſpem & rem ſuam infido credit mari. Corydon ex Mercatore fit nobilis, ut magis à conjuge ſua ametur. Sed *opinio* Te fallit ô Corydon. Non Te magis amabit uxor, ſed Sr. Epimetheus, de rebus jam factis optima reip. conſilia ſuppeditare poteſt. Putat ſe omnia mala, quæ publicè ſæviunt, jam dudum prævidiſſe. Sed ab *opinione* fallitur. Nam ſi ſciviſti Epimethee, res has, quæ factæ ſunt, non profuturas Reipubl. tu ipſe accuſandus es, quia, quod Reipubl. utile eſt, præſens conticuiſti. Sin neſciviſti, cur alios accuſas, qui ipſe futurorum neſcius fuiſti? Nulli unquam ſimpliciter fortuna indulſit, non Moſi, non Davidi, non Salomoni. Abi in antiqua retrò ſecula, videbis neminem tam prævidum, tam pium fuiſſe unquam, cujus ſapientia non aliquando ſibi ipſi exciderit, aut cujus piis conatibus felices ſemper reſponderint eventus. Si putas eum, qui rebus in adverſis te deſerit, quondam fuiſſe amicum tuum, *opinio* te fallit. Nam veri & infucati amoris nullus eſt finis. Quilibet Melancholicus putat fortunam ſuam eſſe acerbiſſimam. Sed ab *opinione* fallitur. Tolle felices, removeto multo divites auro, removeto centum rura qui ſcindunt opulenta bobus, pauperi ſurgent animi jacentes. *Eſt miſer nemo, niſi comparatus.* Si putas Te Melancholicis & ſuperſtitioſis curis tuis res futuras mutare poſſe, opinio te fallit. Si bonæ erunt, fruſtra metuis. Sin malæ, infelicitatem duplicas. Juvenes ſæpe putant, ſe in ſuppeditandis conſiliis ſenes ſuperare. Sed ab igneâ opinione falluntur. Senatus dicitur à ſenibus. Sine ſenum prudentia perit quævis curia. Eſt robur juvenum, conſiliumque ſenum. Sępe putavi, me ab ingenioſiſſimis artificibus plus diſcere poſſe, quam ab aliis. Sed *opinio* me fefellit. Nam ſimiles ſunt Naucleris, robuſtiſſimis quidem ſed ſurdaſtris. Si

credis

credis omnia, quæ à politicis dicuntur, vera eſſe, *opinio* te fallit. In Germanorum proverbio dicitur, ſtultos atque pueros dicere veritatem. Qui igitur vera ſemper profert, aut ſtultus eſſe putatur aut puer. Homo quidam cerevisiarius nuper jurabat, ſe hoc anno ducturum uxoré. Sed ab *opinione* fallebatur. Quia enim nunquam erat ſobrius, non uxorem ducebat, ſed ab uxore ducebatur. Corydon ait, ſe jam reſipiſcere. Sed ab *opinione* fallitur. Nam ſi quid mihi creditis, nunquam ſapuit. Sus roſtro ſuo terræ impreſſit literam A. Si quis ideo putat Andromachen Ennii à ſue poſſe deſcribi, is ab *opinione* fallitur. Sunt qui putant non poſſe unum hominem in variis diſciplinarum generibus excellere. Nam ajunt, qui eſt in omnibus aliquid, in toto nihil eſt. Aſt ab *opinione* falluntur. Qui NON eſt in omnibus aliquid, in toto nihil eſt. Nam totum nihil aliud eſt, quam omnium partium compages. Totum non eſt, ſi earum minimâ deſtitutum. Muſæ omnes virgines ſunt, & tamen quodam quaſi matrimonii nexu inter ſe conjunctæ, quas qui disjungunt, adulterium committere videntur, digniq. in quos ex lege Juliâ ſeveriſſimè animadvertatur. Hiſtorici ajunt, Nervam fuiſſe bonum Imperatorem, Neronem verò malum. Sed ab *opinione* falluntur. Magna profectò calumnia eſt, cùm res ipſa accuſatur, & modus non adjicitur. Finge, Neronem interfeciſſe patrem, matrem, filios, fratres, uxorem. At potuit occidiſſe uolens, coactus juſtam ob cauſam, deceptus. Nihil horum condemnat, ſed interdum ad gloriam conducit. Timoleon, fratrem patriæ inſidiantem occidit & laudatus ab omnibus, defenſus à diis, & poſt factum hoc multis victoriis clarus fuit, Brutus & Torquatus filios occiderunt & laudantur. Si exempla hæc ethnicorum eſſe dixeritis, opponam vobis memoriam Hiſpanici juvenis, qui Regis patrisq; edicto periit. Quicquid dicant alii, Nero melior fuit ſuis temporibus, quàm Nerva ſuis. Et ſi quis rectè judicare vult, eum comparare oportet homines hominibus & tempora temporibus, non ſimpliciter hominum facta. Locus, tempus, leges, conſuetudo, ætas, multa variant, ob quæ mali perſæpè meliores videntur, boni deteriores. Si Nero ſontes punivit, bonus fuit. Si idem inſontes opprimi permiſit, malus fuit. At Neronem non ſolùm ſontes oppreſſiſſe conſtat, ſed & inſontibus omnibus ac miſeris mitem,

 libera-

liberalem atq; utilem fuiſſe haud dubium eſt. Ergò melior fuit Nervà, qui omnibus indulgebat & Reip. nocebat; non quidem faciendo ſed patiendo mala. Nonnunquam melius eſt, ſub his eſſe ſub quibus nihil licet, quam ſub quibus omnia. Poſſem hic ſi vellem Rethorum fontes exhaurire, omnia Neronis facta non modò excuſare ſed & laudare, At ſufficiat jam dicere pauca, quæ ipſi dum auditis, cogitate me ſtare in Cathedrâ Philoſophicâ non Theologicâ. Sat ſcio, necem Agrippinæ matris vos tacitè accuſare. Sed ſi æſtus & maliciam nefariæ illius fœminæ contemplor, non miror, quod Nero eam occiderit, ſed quod patientia ejus tamdiu durare potuerit. Si matrem occidere omninò non licet, fateor injuſtè cæſam: Sed ſi unquam licuit (licuit autem Oreſti, conſultore Apolline) maximè quoque licuit Neroni. Id ut facilius credatis, audite hiſtoriam fœminæ illius. Erat Agrippina filia Germanici, Neptis Auguſti. Nobilitate potens, ſed & ſceleribus notiſſima. Inceſtu fratris infamis, qui tamen vel ſic ſororem & pellicem ferre non potuit, ſed in exilium egit. Adeò erat ferox & improba, ut cum Nero naſceretur, gratulantibus amicis, pater Domitius negârit, poſſe ex ſe & Agrippinâ quicquam naſci, niſi exitiale populo Romano, adeò uxoris mores aſpernabatur. Quæ vox tamen inſulſa fuit, & quotidiano experimento atque uſu refellitur, & multum dedecoris atque invidiæ Neroni attulit. Quaſi verò neceſſarium ſit filium aſſimilari parentibus. Fac ut quis naturâ talis naſcatur, at quid faciet aut proderit educatio, ſi neceſſariò talis futurus eſt natus, quales fuerunt parentes? Quinimò plerunque accidit, ubi parentes ſeu virtute ſeu vitiis extremis inter ſe ſimiles fuerint, ut filius naſcatur contrariis moribus & naturâ, ex duobus nimirum iracundis mitiſſimus, ex ſapientibus ſtupidus aut ſtultus. Sive quia ut ignis ignem retundit, ſive quia extrema neceſſe eſt in contrarium ſtatum declinare. Sed ad rem. Agrippina ſucceſſu impudicitiæ primùm cum fratre, deinde cum Pallante Claudii liberto, ſed potentiſſimo & locupletiſſimo multiſque dignitatibus ornato, deinde cum patruo Imperatore, facta ferocior, credere cœpit (ut ſolent ii, qui per ſcelera & flagitia aſcendunt) nihil nô ſibi licere, adeoq; omnem movit lapidem, ut filius ad imperium veniret. Voto hoc potita, maluit eſſe Imperatoris uxor quam mater. Fortè enim

ſtupidus

ſtupidus & ignavus Claudius plus illi tribuerat, quam Nero adoleſcens, fervidus naturâ, ipſiq́ue matri ſimilis. Primo itaque experta indulgentiam filii, ſed ea tanta quanta, ſufficere non poterat, infinita cupienti. Deinde converſa eſt ad vim occultam, poſtea delapſa eſt ad impudentiam, & omnia apertè tentavit. Ubi vidit, non licere fœminæ imperare, & publicum jus præferendum eſſe privato vinculo maternæ reverentiæ, ad ſtultum conſilium divertit occupandi Neronis adoleſcentiam nefario inceſtu. Ubi verò neque id proceſſit, ad querelas, jurgia, ſolicitationes, minasq́; animum intendit, nihilque intentatum reliquit, donec tot tantisq́; malis, majoribusq́; periculis, tum etiam aſſiduitate importunæ mulieris perculſus Nero, coactus eſt exuere filium & induere juſtitiam, abjicere reſpectum, ſumere poteſtatis licentiam, contemnere famam vanam & conſulere Reipublicæ, cujus ſecura ſalus ſuprema lex eſt. Dicerem quoq; quam malis, ſed arcanis artibus bonitate & clementiâ Neronis abuſus atque adeò juſtiſſimè occiſus fuerit Seneca, illa vulpecula Scholaſtica, niſi id mallem peculiari Oratione probare. Iterum iterumq́; dico, Auditores, multa videntur & non ſunt, multa ſunt & non videntur. Credite mihi, Nero omnis aliquid participat de Nervâ & Nerva omnis de Nerone. Humanum cor omnium nequitiarum capax eſt, ſi tempus adeſt & facultas, nec bonum ullum ullibi, niſi quod Deus inhabitat. Magnus Alexander, morti vicinus dicebat: *Optimus*, regnorum meorum hæres eſto. Dicite mihi JCti, quis vi hujus teſtamenti fuerit Alexandri hæres? Nam quis optimus? Optimus ſæpe in rep. Romanâ videbatur, qui dicente Paterculo, erat peſſimus. Optimus *ſibi* quiſq; & proinde tot regnorum, tot gentium hæres videbatur, haud dubiè peſſimus futurus, ſi peſſimum Alexander denotaſſet. Ego, ſi illo tempore aut vixiſſem aut interrogatus fuiſſem, uſus fuiſſem formula Romanorum, quam in cauſis dubiis adhibere ſolebant: NON LIQUET. Sæpè dubitavi, Auditores, cur homines ſimplices & ſtulti temerè nuncupentur Haſen? Si putatis lepores eſſe animalia ſtulta, profectò *opinio* vos vehementer fallit, & ipſa Sacra Scriptura contradicet. Proverbiorum XXX. ita legimus: *Quatuor* ſunt minima terræ, & *ſapientibus ſapientiora*, lepuſculus *plebs invalida*, qui collocat in petram *nidum ſuum*.

Videtis

Videtis lepuſculo non tantum ſapientiam attribui, ſed & ſapientibus eum præferri. Ut igitur animalculum hoc, cui primam in meo ſit gloria eſt, liberem ab injuriis vulgi, ineptisq; calumniatoribus ejus pro carnibus leporinis ad judicem illas dapes quas Eraſmus nulli diſſimulare jubet, arrigite aures & audite, quod quiſque ſuo ingenio leporem gerat. In natali Academ. Jenenſis quidam vir doctus & pius habuit Orationem de Gehaſi, qui Naheman Syrum inſcio Eliſæo pecuniis emunxerat. Quærere deinde cæpit, an etiam hodie inveniantur Gehaſi ſimiles, i. e. qui pluris facerent quæſtum, opes, divitias, quàm Deum, fidem, pietatẽ, docendi authoritatẽ? Imò, dixit, plures inveniuntur. Ego ſum Gehaſi, tu es Gehaſi, ille eſt Gehaſi. Et nos omnes ſumus Gehaſi. Quę verba, cum diutius in materia hac hæreret, aliquoties repetiit. Nec mora, ꝙ vir pius dextrâ porrexit, id laſcivi auditores ſiniſtrâ arripuerunt, & inter compotatiunculas ſuas, eum qui ſuam captavit utilitatẽ aut inſidiosè aliquid molitus eſt, vocarũt *Gehaſi*. Dimanavit hoc in alias Academias vicinas, ubi miſellus Gehaſi caput, id eſt, primam ſyllabam amiſit, ita ut omnes, qui aliquid perperam nec ſatis cogitanter facerent, nominarentur lingua nobis patria Haſi. Olim quidam calcearius Dei corium furabatur, & calceos propter Deum dabat pauperibus, vnd meint er hette auff dieſe weiß vnſerm Herrn GOtt Gelt auff ein Stück vom Himel gelehnt/ wie jener dem Bawern zu Heuchelheim auff die Wieſe. Sed ab *opinione* fallebatur. Arbeit etwas redliches mit deinen Händen/ auff daß du habeſt zu geben dem Dürfftigen. Gellia ſeni diviti nupſit, qui credit ſe ab eâ vehementer amari. Sed *opinio* Te fallit ô ſenex. Non te amat, ſed pecuniam tuam. Si pedem ante limina domus ponis, proximus tacitè precatur ut valeas, ſi modo non redeas. Multi in Academiis aliena nomina contrahunt & creditores delectant atque ſolantur ſpe divitis uxoris. Sed *opinio* multos fallit. O ſpes fallaces, deinde cum Oratoribus exclamant! At ego potius dicerem, ô res fallaces, ſpes verò fideles. Nam ſpes hæ ſæpiſſimè miſeros illos Ixiones comitantur ad carcerem obæratorum, in quo ſerò ſed ſerò diſcunt, quod optimum vectigal ſit parſimonia. Quod deformes quandoque videantur formoſæ, non atræ tantùm nocti imputandum eſt, ſed libidinoſæ *opinioni*. O *opinio* potentiſſima mundi regina! quid nõ mortalia

talia pectora cogis? Sæpe, qui hodie furca dignus cenſetur, cras amare incipit antiſtitis alicujus ancillam. Ab ancilla commendatur filiæ, à filiâ porrò commendatur Dominæ, Domina Flandeſio ſuo ſi forte nocte dormire non poteſt, talem inter baſia & amplexus ingenerat *opinionem*, ut pro Agamemnone habeatur, qui antea Therſites erat. *Opinio* facit ut iidem affectus, eædem res, pro temporum & perſonarum ſorte, nunc virtutes ſint, nunc vitia. Si ſuperſanctiſſimus Papa vult, pernam in Rhenum intingit, dicens: FIAS PISCIS. Protinus dictum, factum. Nemo validior eſt ad ingenerandas *opiniones* quàm mulier, inter brachia Flandeſii ſui fictas atque eruditas lachrymas emulgens. Ridetis, Auditores, & vos cautiores fore putatis. Sed *opinio* pleroſque fallet. Gens illa fœminea imperat & imperavit, & imperabit, vel clam, vel vi, vel precariò. Wolt jhr nun eben die Stieffel zu Nürnberg verdienen? Cæterùm procul hinc abeant, illi qui dicunt, der Eheſtand ſey ein Weheſtand. Annon enim ajunt, cum peſſimâ fœminarum optimus Socrates eſt colluctatus? Annon infelix Imperator, qui filium Commodum accepit? Auguſtus Cæſar divûm genus aurea condens ſecula, vel proprio ſuo judicio felix fuiſſet, ſi cælebs vixiſſet, orbusq; periiſſet. Annon Saturnus à filio ſuo, Deorum hominumque imperio exutus eſt? Quot patres victimæ filiorum fuerunt? Quot prioris tori filii circumventi ſunt inſidiis novercarum? Et annon ſemper amat lites, alternaq; jurgia lectus in quo nupta jacet, minimumque dormitur in illo? Sed precamur hominibus illis helleborum loco ſalutis. Quomodo ſtatus infelix eſſe poteſt, in quo regnat ejuſmodi regina domeſtica, quæ vigilantior eſt anſere in Capitolio, die im Haus herumb laufft, Wie ein lebendiger Bratſpies, quæ limina domus tanquam muros urbis ſuæ ad modum Remi tranſcendere capitale putat. Eines Mannes Hertz darff ſich auff ſie verlaſſen, etiamſi nocturno tempore à Tarquinio peteretur. Ihr Liecht verleſcht nicht, ſi ſatis olei in promptu eſt. Da regnets eytel Glück, das man im Koth ſitzt biſs vber die Ohren. Da hagelt es mit Reichsthaler zu, das es Beulen gibt. Da bawet man da brawet man. Summa, da ſitzt S. Peter auff dem Tach vnd wirfft Bieren herab, vnd S. Claus faule Aepffel wider hinauff. Multi in republicâ imperant atque eminent. Non quia ſapientes ſunt, ſed quia

tales eſſe videntur. Quæris, quis igitur eos reip. commendet? Primus eorum promotor eſt venter, ſummus eorundem Doctor eſt imitatio, exoptatiſſimus encomiaſtes, credulitas. Quibus ſi temporis opportunitas divitumque hominum favor aſpirant, facilè vanitatis humanæ faſtigia conſcendunt, & deinde irregulariſſimi mundo regulas præſcribunt. Sedulum eſſe, nihil temere loqui, aſſueſcere virtuti & IMAGINI ſapientiæ, tegere anguſtiores partes ingenii, hæc neque ſummum hominem deſiderant, & ſolæ artes ſunt, quæ ſæpiſſimè laudatiſſimis proceribus conciliant *opinionem* apud populum. Sæpè abeſſe vitia pro virtute eſt, ſæpe non invidioſus prudentiæ rivus in famam Oceani alicujus ſe diffundit, ſæpe temeritas felicius judicat quam laborioſa literatorum diligentia. Princeps quidam Germaniæ, olim nobilem quendam juvenem, aulicum ſuum interrogavit: Wan wiltu einmahl witzig werden? Cui nobilis: E. F. G. geben mir ein fürnehm Ampt, ſo wil ich wol witzig werden. Ich bedarf jetzo der witz noch nicht. Wan ich aber ein fürnehm Ampt hette, vnd hette alsdann ſchon ſo viel Schieffer im Kopff, daſs man ein Dach damit decken könt, ſo Würde man mich doch AMPTS WEGEN für ein klugen Man halten. Quare? Date, Mundus vult falli *opinionibus*. Sæpè dubitavi, nec hâc ipsâ horâ ſcio, quid ſtatuere debeam. An reip. plus proſit malus politicus cum bonâ *opinione*, quam bonus politicus cum malâ *opinione*? Cauſas dubitandi dicam quærenti. Annon Eccleſiaſtici quandoque etiam falluntur *opinionibus*, dum eos vel cognatio vel argentum vel interceſſio, vel lucri cujusq; ſpes, Eccleſiæ obtrudit, & tamen ordinariam legitimamq; Dei vocationem crepant, ſeq; Dei Legatos, Dei interpretes, Dei diſpenſatores eſſe dicunt? Nunquid creditis, Deum per ejuſmodi nundinatores vendere oviculas ſuas? Annon dum ſæpe biblica Metaphyſicè, Metaphyſica biblicè explicant, citius ædificabunt cœlum Ariſtotelicum, quam illud quod debetur Martyribus? Annon quandoq; ab *opinione* falluntur, dum (ut habeant quod agant) Turcas aliosq; barbaros & hæreticos ſibi convertendos fingunt, quos nunquam viderunt vel videbunt? Dicite mihi, Auditores, ubi unquam legeritis, loquaciſſimum Diabolum trepidâſſe ad Syllogiſmos alicujus diſputatoris? Quiſquis es, ſi adverſus Diabolum ejuſdemque Va-

ſallos

ſallos pugnare vis, ſolâ pietate invictus eris. Si Poſtilla omnia nuper in incendio illo Francofurtenſi periiſſent, multi crederent, non poſſe amplius tot homines ad Deum converti. Sed ab *opinione* fallerentur. Noſtis, qua in re conſiſtat optimum concionatoris artificium? Non in ſolâ inventione aut diſpoſitione. Nam perfectiſſima inventionis, & diſpoſitionis norma eſt, quam ſuggerit Spiritus ſanctus ritè invocatus. Friget omnis concio, quæcunque ex poſtillis potius hauritur quàm ex pectore.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Neque etiam in pronunciatione conſiſtit. Nam ſatis eſt, loqui voce eâ, qualem Deus formavit, & vitare imitationem.

O imitatorum ſervum pecus, ut mihi ſæpe
Riſum ſæpe bilem veſtri movere tumultus.

Neq; etiam in actione conſiſtit. Nam actio ſatis decens eſt, ſi abſit geſticulatio, adſit modeſtia. Sed conſiſtit in vitâ & moribus ſanctiſſimis. Fruſtra doces, ſi fugienda facis & facienda fugis. Unica ſimplex concio, vitâ repræſentata, præſtat mille ingenioſiſſimis declamationibus. Fateor equidem præcepta Rhetorum hîc aliquid poſſe, Sed præcepta illa ex poſtillis non hauriuntur. O quam ſuaviter ab *opinione* falluntur Pontificii, dum tempora pœnarum in purgatorio veluti clepſydrâ metiuntur. Calviniani in Batavia magno impetu diſputant, quod homo etiam in civilibus non habeat liberum arbitrium. Sed ab *opinione* falluntur vehementiſſimè. Facilè quidem crediderim, maritos ibi perdidiſſe liberum arbitrium. Sed uxores eorum adhuc habent arbitrium non modo liberum, ſed liberrimum. Id quod nemo negabit, qui Ambſdelodomum tranſeundo ſubinde quæſivit; ecquis ibi habitat? Ubi procul dubio, non reſponſum fuit, Cornelius ibi habitat, ſed Cornelius Gertrutgen & ita porrò. Grammatici fugite hinc, hæc vir & hic mulier. Sancti Monachi (vereor, ne derideri ſe putent, cùm ſanctos appello) ecquoties homines fallunt ſanctiſſimis & pluſquam ſanctiſſimis *opinionibus*? Divitias, honores & alia talia fugiunt, haben aber nichts liebers als das man ſie damit jagt. An erit qui velle recuſet os populi meruiſſe? In illis ipſis libris, quos de contemptu ſeu divitiarum ſeu honorum ſcribunt, nomina ſua ambitioſiſſimis titulis ſubjungunt. Sunt, qui pu-

tant,

rant, ſie können kein Recht finden, ſie haben dann ein halb tauſend Thaler in einer Sach verrecht, oder ein halb dutzent Rechtsgelehr-te reich gemacht. Sed ab *opinione* falluntur vehementiſſime. Optimi Juſtitiæ antiſtites inveniuntur in culinis principum. Ibi, ſuum cuique tribuitur jus. Tria ſunt Medicinæ columina, ratio, experientia, & *opinio*. Ars autem & experientia ſine *opinione* otioſæ ſedent. Novi Nobilem militari fortitudine clarum, qui aliis militibus ſuis febri laborantibus appendit ſchedulam, cui inſcripſit hæc verba: Ein Wolffsbeltz vnd ein Bernhaut ſeind gut fürs Frielen. Quid quæris? Crediderunt milites arcanum hoc ex intimâ Hippocratis Scholâ felici quodam furto petitum eſſe, & à ſolâ *opinione* ſanati ſunt omnes. Chymicus quidam bibaciſſimus gloriatur, ſe poſſe aurum facere potabile. Sed vir bone, melior, optime, aut *opinio* te fallit, aut venter tuus eſt ingens aurifodina. Chirurgi ſæpe novis inauditisq; remediis vulnera ſanant & ex ſupervacua curationis morâ exiguiſſimam mercedem petunt, nihilque non faciunt, ut homines fallant opinionibus.

Philoſophi, qui malunt acutè diſputare quàm prudenter vivere, illi inquam veteres Scholaſtici, duo egerunt. Primò barbarè locuti ſunt, deinde patroni ſui, magni Ariſtotelis, ſententias non explicârunt, ſed eaſdem multis tenebris implicârunt. Hi inquam putant neminem ſapere poſſe, niſi in ſcalâ prædicamentali quotidie aſcendat, & deſcendat, niſi ſemper in ore habeat Scoti hæcceitates, Javellicũ ly, Thomæ aliorumq; quidditates, formalitates, ubicationes, communicantias, realitates, modalitates, ſuppoſitalitates & alia Ciceronis ſeculo feliciſſimo inaudita nomina, niſi demq; ſemper verſetur inter nubes Socraticas aut myſteria Caballiſtica proponat, de quibus nec in Tuſculanis quæſtionibus diſputat Cicero, nec in moralibus ſuis Plutarchus. Sed profectò, ab *opinione* falluntur multum, plus, plurimum. Nihilne enim te natura docet, & innata ingenii felicitas elicit, ita ut ſemper currendum ſit ad rei evidentiſſimæ interpretes? Claus Narr, morio ille celeberrimus, aliquando vidit capram ambulantem in apice muri alicujus, & protinus ſolicitâ manu admovit ſcalam, capramq; admonuit, ut ſi illæſo crure deſcendere vellet, beneficio ſcalæ uteretur. Aſt capra eam vix obliquis hirquis aſpexit, & nihilominus deſcendit.

Mathe-

Mathematici, qui quoties terram faſtidiunt, inter aſtra ipſa & cœlos habitant, & ſtellarum numerum, magnitudinem & diſtantiam tanquam pollice aut filo metiuntur, qui ſæpe in quibus regionibus verſentur, ignorarent, niſi in globo elevationem poli intuerentur. Hi inquam, ne forte ſol præſcriptos ſibi limites excedat, faſciâ, quam Zodiacum vocant, quâ eundum illi ſit, deſignant, & ne quatuor anni tempora præpoſterè currendo confundat, quo ordine illi currendum ſit, fideliſſimè monſtrant. Primò nimirum per Arietem mox per Taurum, inde per Geminos, deinde per Cancrum & ita deinceps. Sed Menippus, qui aliquando in Lunâ ſediſſe dicitur, per omnia ſacra & profana jurat homines illos ſæpiſſimè falli *opinionibus*.

Phyſici quoties ab *opinione* falluntur, confugiunt ad occultas qualitates, illud aſylum ignorantiæ, ut Pererius loquitur. Politici quandoque credunt neminem Reipublicæ aptum eſſe, niſi accuratè diſputare ſciat, an ſtatus Monarchicus ſit prę́ferendus Ariſtocratico, an electio præferenda ſucceſſioni & ita porrò. Sed ab *opinione* non rarò falluntur. Ego pro mea ingenii libertate, ita judico, poſſe aliquem plus ſapientiæ Politicæ haurire, ex florilegio Politico Lehmanni, quam ex neſcio quot ſpinoſis & deſtinctionum pleniſſimis diſputationibus. Libelli illius potiſſima pars conſiſtit in vulgi dicteriis & anicularum ſententiis. Sed quæcunque tot laboribus, periculis, erroribus, inquiſitionibus, humano generi conſtitêre, ea libello illi incluſa videbis, ut eum non immeritò orbis terreni maximas & axiomata appellare poſſis. Quot ferè lineas, tot ſtatuas Mercuriales ibi invenies, quæ ſtolidam juventutem in rerum omnium experimenta magnâ ſpe accinctam, de viâ admonent. Sunt ibi inquam, SENUM oracula, qui poſt multas ambages feſſi ad ſe tandem redierunt, & brevi erroris confeſſione nobis conſulere voluerunt. Sæpè etiam eſt olitor valdè opportuna locutus. Nec eſt cordatus Philoſophus, qui non ex hominum turmis ſuam formavit ſapientiâ. Quanquam in Politicis vel parùm vel nihil ſcio, at quæritis tamen quinam fuerint optimi mei Præceptores in Politicis? MUNDUS. Qui libri? Varia ingenia, quibus cum me converſari oportuit.

De Logicis ſatius eſſet tacere quam pauca loqui. Nam quoties falluntur *opinionibus*, dum de controverſiis illis, an Logica ſit ars, an ſcientia, an habitus inſtrumentalis practicus? an particula BENE

 abun-

abundet in definitione Logicæ? An vox diſſerendi ſit metaphorica? &c.&c.&c. tanto cum impetu, illi ex P. Rami Schola, diſputant, ac ſi ſalus totius imperii Romani ab iis dependeret? Futurum credo, quod citius Imperatori Romano conciliari poſſint filii Friderici Palatini, quàm componi poſſit lis, quæ fervet inter Ariſtotelicos & Ramiſtas. Hi ad imitationem Petri ſui, entia diſſecant per minutas διχοτομίας, quas deinde in tabellas referunt, memoriæ juvandæ causâ. Tabellas iſtas ſi in charta ita ſine commentario delineatas intuereris, jurares te imaginem videre illius exercitus, quo Guſtavus Suecorum Rex in prælio Lipſenſi occurſavit Tyllio. Tantam certè videbis copiam ſub, ſub, ſub, ſub (permittite ut reſpirem pauliſper) ſubdiſtinctionum, ut credam non plura Helleſpontum cum Xerxe capita trajeciſſe, aut tot Pragæ & Francofurti eſſe Judæos, aut tot olim Mario conſule profligatos Cimbros. Et ego quidem laborioſiſſimum hominum illorum otium ſuſpicio, non carpo. At quæro, cum celeberrimo Cornelio Martini, quid ſibi Ramiſtæ velint cum operoſâ illâ analyſi logicâ, niſi ut pueris crucem figant & adultioribus riſum? Videte enim exempli gratiâ primam oden Horatii, ut Ramiſticè reſolvitur: *Mæcenas atavis edite regibus.* Mæcenas eſt effectum atavorum regum, cauſarum procreantium, &c. Quaſi verò inveniatur tam brutus, ut neſciat filios procreari à parentibus, niſi hoc didiciſſet ex Logicâ Rami. Plura me recenſere piget. Ramus, ingenii oſtentandi causâ hæreſin hanc in Philoſophiâ excitavit. Cum enim Lutetiæ Pariſiorum Magiſterii titulum ambiret, pro more & conſuetudine Scholarum propoſuit hoc problema publicè diſputandum: *Quæcunque ab Ariſtotele ſcripta, commentitia ſunt.* Patres Academici, attoniti novitate & inſolentia problematis, per diem integrum Magiſtrandum Ramum oppugnarunt. Hinc factum ut Ramus deinceps ſerio & liberè in *Ariſtotelem* animadverterit, & Logicam præcipuè novam meditatus ſit, quam dicente Johan. Combachio, tria nobis ſuſpectam reddunt. FALSUM, INORDINATUM, IMPERFECTUM. Ignoſcant mihi reip. literariæ Magnates, ſi quæro, annon etiam multi Metaphyſici *opinionibus* fallantur & Morphei domum ædificent, dum circa non entium productionem tam ingenioſè ſomniant, & ſemper ens negationis & privationis in ore habent? Si fortaſſe in Cicerone aliiſq; priſcæ ſapientiæ Magiſtris de

his

his terminis non legiſtis, breviter eos ex mente Excellentiſſimi Barlæi explicabo. *Ens negationis*, eſt Pegaſus, adeoq; totus ille deorũ Poeticorum chorus tam frequens, ut turbam ipſam vix capiat cœlum tametſi capaciſſimum. *Ens privationis*, eſt Claudius Cæſar, ſed eâ corporis parte, quâ Druſillam in cœlum euntem ſequitur, non paſſibus æquis. In eo conveniunt, quod cum verâ eſſentia careant, ad ſimilitudinem tamen rerum concipiantur. In hoc vero differunt, quod entia negationis in univerſo nihil ſint; privationis, rem connotent perfectione ſuâ deſtitutam. Puto ego, multos Metaphyſicorum terminos poſſe multo clarius & dilucidius proponi, ita ut vel Oedipo aut Nymphâ Egeria vel tot aliis commentariis non opus eſſet, niſi Philoſophi mallent cum animalibus illis Scholaſticis (ignoſcite me animalia nominare eos, quos ocioſâ ſubtilitate ſuâ ferè inter Angelicas formas migraſſe credit mundus) βαρβαρίζειν, quàm cum Cicerone purè & Latinè Loqui. *Opinionem* hanc levi quaſi brachio attigiſſe videtur Frater Mattheus Weiss, Monachus Andecenſis in Dialecticâ nova p. mihi 97. Edit. Saliſburg. Anno 1628. Giſſæ me puero erat ſartor natione Gallus, qui Studioſo cuidam debebat conficere thoracem. Neſcio quâ incuriâ manicæ erant juſto breviores. Protinus itaque Sartor aliquam panni partem manicis aſſuebat, & cicatricem variis filis ſericis ornabat. Sartores cæteri, id contemplabantur, ſtolidè credentes hanc eſſe ſingularem quandam elegantiam Gentis Gallicæ, Es ſey Alamodo, adeoq; manicas omnes diſſecabant, diſſectas iterum reſarciebant & filis ſericis ita ornabant. Profectò ſimili modo (ignoſcant libero & candido animo meo) falli videntur Philoſophi, qui ita exoſculantur & venerantur Scholaſticorum terminos, quos in illa ſeculorum barbarie ſola neceſſitas & ignorantia & verborum penuria illis extorſit. Antiquitas eſt, illa tyrannis, quæ rem hanc nobilitavit, adeò ut nunc videatur optimus Philoſophus, qui maximè cum Thomâ de Aqua vino, inquam, de Aquino, poteſt βαρβαρίζειν. Cæterùm, ſpeculationes illas Scholaſticorum, comparare ſoleo placentis Norimbergenſibus, quæ uti per ſe bonæ ſunt, ita immodicè ſumptæ & noxiæ fiunt & tandem palato ingratæ. Poëtæ, quorum tanta divinitas pectus ſæpe occupat, ut cum Poëtæ eſſe & Deo agitante caleſcere incipiunt, homines eſſe deſinant, quàm abjectiſſimè hodie habentur ab *opinione* eorum, qui ad

ſervi-

ſervitutem à naturâ facti, liberis ingeniis tamen neſcio quo Fatorum ludibrio imperant? Fatebor ingenuè, Auditores, pudet me vel ambire vel poſſidere famam Poëtæ. Sunt enim non pauci, qui putant Poëta & ſtultus, eſſe terminos convertibiles. Imò quemlibet poſſe eſſe Poëtam, ſi modò ebibat menſuratam unam atque alteram generoſi vini Rhenani. Nam Poëta ajunt derivari à potare, quia omnis Poëta ſit potator, potare & apportare autem derivari à petere, & appetere, quia Poetæ potantes petant atq; appetant lyram Apollinis, & apportando, ſint potentes. O ihr erbare Wittrölpel! Precor vobis annos Neſtoris, divitias Midæ & ejuſdē auriculas. Si quid mihi creditis, Poëtam oportet ſcire omnia, & qui ſcit omnia, nondum Poëta eſt. Conſules ſingulis annis fiunt. Aſt Rex aut Poëta non quotidiè naſcitur.

——— ———*Neq; enim concludere verſum*
Dixeris eſſe ſatis, neq; ſi quis ſcribat uti nos
Horat. *Sermoni propiora, putes hunc eſſe Poëtam.*
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atq; os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

O quàm vanæ *opiniones* hodie regnant in Oratoria! In Oratoriâ dico, quam olim illuſtravit diligentia, obſcuravit nimia, funditus evertit minima. Quotusquiſque eſt qui te docere vult, quomodo tumultuantes cives vel milites gravi oratione debeas tranquillos reddere, & ipſe domi ſ morolam Margretulam ſuam quietam reddere neſcit? Quotusquiſque eſt, qui diſpoſitionem Orationis vel coram Imperatore Romano vel coram Hiſpaniarum Rege habendæ tibi præſcribit, & ipſe ſi quid coram Prætore loquendum, pallet atque trepidat, veluti Hadriani animula blandula, nudula? Imò, quàm anxii ſumus in laudandâ Dialecticâ, Philoſophiâ, ſobrietate, caſtitate, &c. quas tamen nemo vituperat! Dictum de charitate exordium petimus à Nilo Ægypti fluvio, aut à Babylonico Dracone Bel, aut à duodecim ſignis Zodiaci, aut diu præloquimur de quadratura circuli. Actum putaret nequaquam feliciter proceſſerint, niſi poſt aliquot Ehem, hem, hem, ita exordiremur: *Quod felix fauſtumq; ſit, reiq; publicæ literariæ ſalutari, &c.* Und machet alſo ein auffſtuck bon ... der Pechter, das ein paar Stund lang erhret. Dicere deinde aliquid, quod non ex Cicerone petitur, etiamen eſſet læſæ Majeſtatis Oratoriæ. Di-

riæ. Dicant alii, quicquid velint, ego liberè quoque eloquar, quod liberè ſentio. Puto, optimum Oratoris artificium eſſe, primò diſcere compendia comparandi & inveniendi copiam verborum & rerum & deinde imitari naturam ſuam. Quicquid in vitâ & reluctante naturâ dicitur, affectatum eſt. Omne autem affectatum ingratum. Magnus Eraſmus, interrogatus, ecquem imitaretur? Reſpondit ſe imitari Eraſmum. Et ille mihi videtur Ciceronis ſimilimus, qui de re quacunque ex argumento dicit quam optimè. Poteſt forçaſſe Cicero aliquis naſci, at fieri non poteſt. In ipſo illo feliciſſimo Ciceronis ævo inveniri non potuit Ciceronianus, ab ipſo Cicerone curioſè quæſitus, præter unum Ciceronem. Cæteri contenti fuerunt propriè & eleganter dixiſſe. Tacitus aliter loquitur, quàm Cicero, Cicero aliter, quàm Livius, alii viciſſim aliter, quiſque ſequitur ideam ingenii ſui, & omnes tamen Latini ſunt. Videtis igitur, quàm ridiculi ſint, quam præter rem & rationem faciant, quam ſe & ſpes ſuas corrumpant, qui jurant in ſola Ciceronis verba, ut Bembus, Manutii aliique olim in Italiâ fecerunt. Alles vvas im Cicerone ſtehet, iſt gut Latein: Allein nicht all das Latein ſtehet im Cicerone. Cæterum, ad Juriſconſultum aliquem olim veniſſe dicitur Studioſus interrogans, quâ methodo progredi debeat in ſtudio juris? JCtus, protinus arrepto Corpore Juris, aliquot paginas perlegit, & urgenti ſtudioſo deinde reſpondit: FAC, QUOD ME VIDES FACERE. Si iterum ex me quæritis, quâ methodo & vos procedere debeatis in ſtudio eloquentiæ, jubebo vos idem facere, quod ego facio, id eſt, legere varios autores, Hiſtoricos atque Oratores. Cui lecta potenter erit res, nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo. *Hiſtorici* videntur eſſe homines feliciſſimi. Nam quoties amœniſſimum hiſtoriarum hortum ingrediuntur, majores videntur tot viris, in quibus nunc extollendis, nunc deprimendis fortuna jocatur. Jactent alii favorem aulicum. Hiſtorico, cum Auguſto, cum Tiberio aliiſque Romanis Imperatoribus loqui licet, quoties libet. Jactent alii longinquas peregrinationes. Hiſtoricus in muſeo ſuo omnia intuetur. Nam & Tarpejus Jupiter, & Veſta mater, & æterni ignes & ſeptem montes, nuſpiam apparent, niſi apud Hiſtoricos. Hiſtorici ſunt, qui mortalia æternitate donant, quod Alexander Magnus, illud orbis miraculum, non poterat. Viſnè

 cogno-

cognoſcere res geſtas inter ſummos reges, potentiſſimas civitates, bellicoſiſſimas nationes? ſcire geſtis, cauſas bellorum, conſilia Ducum, virtutes militum? Visnè videre, quaſi in pictâ tabulâ, adverſa Ducum ſtratagemata, artes, inſidias, ſpem potiundi, metum amittendi, cæſos exercitus, urbes captas, imperia deleta? HISTORICOS adi. Hi ſunt vitæ magiſtri & omnis jucunditatis compendia. Sed nihilominus ab *opinione* quandoque falluntur, dum malunt priſcarum virtutum æditui & cuſtodes eſſe, quam imitatores. Critici, quibus interdum nil magis deeſt, quam bona criſis, (qui à quibuſdam humanitatis Doctores appellantur; Forſan, quia divina parum curant.) & Grammatici, illi puerilium ingeniorum carnifices, putant ſe Grammaticam ſuam ſapientiam ſatis commendaſſe generi humano, his argumentis,

Qui bene cœpit, dimidium facti habet.
Qui Grammaticam ſolidè didicit benè cœpit.

Ergo dimidium facti habet. Porrò, dimidium plus toto. Qui Grammaticam didicit, facti habet dimidium. Ergo plus toto. Totum, quo contenditur à literarum ſtudioſis, eſt ſapientia. Quomodo igitur ſapiens eſſe poteſt ſine Grammaticâ? Mihi neque otium neque mens eſt, ad argumenta hæc reſpondere. Aſt audite, quam alienus ab eorum *opinione* fuerit Sigiſmundus Imperator. Is in Concilio Cõſtantienſi patres ita allocutus eſt: Videte, patres, ut eradicetis perniciosiſſimam ſchiſmam Huſſitarum. Cui ſenex quidam Criticus, putans ſe bonâ conſcientiâ ad tantam Priſciani contumeliam ſilere non poſſe, dixit: Sereniſſime Imperator, Schiſma eſt generis Neutri. Imperator, quis hoc dixit? ℞. Alexander Gallus. Quis eſt ille Alexander Gallus? ℞. Monachus. Imò regeſſit Sigiſmundus, & ego Imperator Romanus ſum, adeoque majoris autoritatis. Sanè, magnifacio Latinam linguam. Non tamen poſtrema hodiernæ ſtultitiæ ſpecies videtur, quod propter eam ſubinde ineptiſſimi & irreligioſiſſimi obtrudantur vel Eccleſiæ vel Reipublicæ. Adorantur, qualeſcunque è Scholâ emittuntur, nec ob aliam cauſam illis animarum, aut fortunæ publicæ aut corporum cura committitur, niſi quia Latinè balbutiunt. Alii viri boni de publicâ ſalute ſoliciti, nobis pecora videntur, ſaltem quia neſciunt, quod Grammatica ſit ars, & quòd partes Grammaticæ duæ ſint. Æſopus, ligonem tenebat, &

aliud

aliud agendo plus diſcebat, quam beani illi inter libros ſuos. Libros dico, quos pulvis obtegit, ſitus & ſqualor erodit, quos interdum transferre neſciunt, nedum explicare. Quoties ſingulis annis eos aſpiciunt? Sueci certè, inter libros, homines illos non poterunt occidere, ut illi Archimedem. Si in lingua Latinâ conſiſteret cardo religionis noſtræ, ſatius fuiſſet Chriſtum nobis Latinam Grammaticam reliquiſſe, quam Evangelium. Non dicam de Græca aut Hebraicâ Linguâ quæ utinam inter nos eſſent frequentiores, utinam ſtudioſis commendatiores! Sed de vulgaribus ſaltem hodiernis loquor, quæ nihilo infeliciùs rebus & ſcientiis omnibus inſerviunt, quam Latina. Itali & Galli, in vernaculâ ſuâ linguâ poſſident omne genus ſapientiæ. Et audite, jhr Schul Regenten. Es iſt kein Sprach an ein Facultet gebunden, auch keine Facultet an eine Sprach. Warumb ſolt man nicht eben ſo wol in der teutſchen, als in der lateiniſchen Sprach lernen können, wie man Gott recht erkennen vnd ehren ſolle? Warumb ſolt ich nicht eben ſo wol in meiner MutterSprach ſehen was recht oder vnrecht ſey? Ich halt, man künne einen Krancken eben ſo wol auff Teutſch, als auff Griechiſch oder Arabiſch curiren. Vnd hette mancher Medicus des Würſungs oder Vffenbachs ArtzeneyBuch nicht, er ſtünde leiden vbel. Es iſt der allergröſten Thorheiten eine, ſo vnter den Gelahrten getrieben wird, daſs man die Kunſt Lateiniſch zu reden, der Jugend in Lateiniſcher Sprach furmahlet. Ja daſs man zehen oder mehr Jahr auff die Lateiniſche Sprach wendet, da man kaum drey oder vier Iahr ſich auf die Facultet legen kan. Fragt jhr, jhr Hern Scholaſtici, warūb ich dieſes in teutſcher Sprach zu euch rede? Darumb, weil ich weis, daſs viel vnter euch die Lateiniſche Sprach lehren wollen, vnd ſelbſt nicht recht wiſſen, wie thewer ein Ehl? Patrum noſtrorum memoriâ, auſpicio Illuſtriſſimi Principis, Domini Ludovici fidelis Haſſiæ Landgravii, conati equidem fuerunt viri literati, transferre artes omnes & facultates in linguam vernaculam. Et ſucceſſum non admodum felicem fuiſſe, nemo mirari debet. Nam non ſubitò excogitatur nova veritatis cura, ſed diu in animis hominum obrepit & tacitis ſuſurris querelisq; circumvolat, deniq; verbis aliquot audentioribus neſcio quid minatur. Et niſi violenta aliqua injuria vel evidens neceſſitas accedit, aut ſpes felicioris

tenta minis protinus affulget, citò humanâ timiditate aut aliorum invidiâ aut ſocordiâ, optima quæq; iterum ſubſident. Tandem animoſus interdum aut ingenioſus quidam prodit, qui mora ipſe tacitos etiam provocat, & promptiores in apertam profeſſionem facilè inducit. Ita quod dudum multorum votum fuit, tandem omnium creditur eſſe perſuaſio. Percurrite ſuperiorum ſeculorum hiſtorias, & cogitate, quid factum ſit in negotio religionis. Sed ſapienti ſat. O ſi mitteret nobis Deus virum aliquem, qui Scholas in Germaniâ non erigeret, ſed erectas corrigeret. Satis multæ quidem Scholæ ſunt, ſed non ſatis bonæ. Illa ipſa multitudo, videtur eſſe inimica publicæ ſaluti. Quò quid magis accedit ad unitatem, eò magis accedit ad perfectionem, dicunt Philoſophi. Minus nunc iniqui ſunt veteribus Germanis, qui literis olim non inviti caruerunt. In juventute tamen didicerunt, quæ viris facienda fuerunt. Aſt hodie nos ſemidocti, animalia, quia in pueritiâ in Scholis negligimur, quædam diſcimus in ſpem futuræ oblivionis, quædam cum Athenienſibus, & Lacedæmoniis facienda relinquimus. Sæpe dubitavi, an Batavi potentiſſimo Hiſpaniarum Regi, qui alterum pedem habet in Oriente, alterum in Occidente, plus nocuerint manu, quàm ingenio. Profectò, cùm bene conſtitutas Scholas ubique habent, ut inter opifices inveniantur homines in Theologiâ, in matheſi, in hiſtoriis ita excelſi, ut ſæpe eorum converſationem ineuntem puduerit profiteri, me literatum eſſe. Hoc modo exculta etiam plebejorum ingenia non poſſunt non artes ſuas mechanicas magis excolere. Florentibus verò artibus mechanicis, non poteſt non reſpublica florere, & aliarum regionum pecuniam invitare. Quid miraris, quòd quandoque etiam Bileami aſinus vera & bono publico utilia loquatur? Græci, Romani aliiq; populi ſapientiſſimi olim crediderunt, Jovem, Martem, Mercuriumque, &c. eſſe Deos. Sed *opinio* eos fefellit vehementiſſimè. Judæi populi abjectiſſimi, & ab omnibus contempti, diverſiſſimam foverunt *opinionem*, & hac ipſâ *opinione* beati fuerunt. Quoties heroum quorundam memoria mihi occurrit, quos vulgus felices æſtimat, quòd in memoriæ & bonæ famæ templo ad omnem poſteritatem proſtent, quòd ingenia quæque nobiliora exemplo ſuo provocent, quòd veluti in deorum numerum recepti, totius orbis ſtudiis dent leges, toties doleo eoſdem quoque fefelliſſe *opinionem*. Nam

video,

video, quòd ad humanos errores ubique deprehenſos commiſerati fuerint, magno quoq; conatu remedia quæſiverint, quæ, cùm adhibenda, & multo applauſu ſuſcipienda fuerunt, turpiter exploſa ſunt. Hinc non poſſum non eos miſerrimos proclamare, quòd poſt longam defatigationem, humanâ inſanabilitate irritati, & ſuis laboribus & terræ tandem maledixerint, indignantesque vita hâc exierint. Optimus quiſque accedat ad reformandas res humanas, ſed ſub certâ infamiæ, ingratitudinis & defatigationis expectatione. Nam id ſcientiarum & religionum reformatores experti ſunt omnes. In Utopiâ, res omnes melius florere audio, quàm in Paradiſo ante lapſum Adami. Senatores in curiâ non dicuntur ibi ſenatores ab aſſentiendo, ſed homines ſunt peritiſſimi, & neutiquam rimoſi, ſive garruli. Nobiles, fortes ſunt, non ſuperbi. Aulici nec adulatores ſunt, nec bibaces. Sacerdotes non curant decimas, & nec per Genitivum, nec per Dativum ambiunt ſacerdotia. Auditores eorum, aures habent, non linguas. JCti conſcientiam curant, non lucrum venantur. Medici magnam experientiam habent, & non ſunt invidi. Politici integerrimi ſunt, & ab atheiſmo remotiſſimi. Philoſophi multum ingenii habent, parum ſupercilii. Hiſtorici prudentes ſunt, non fabuloſi. Oratores naturam imitantur, non Ciceronem. Si bona dicunt, ſatis ſe dixiſſe credunt, ſi mala, nimis. Nec alia dicunt, alia ſentiunt. Mathematici plus praxeos habent, quàm vertiginis. Arithmetici plus ingenii, quàm regularum. Phyſici ſagaces ſunt, nec facilè credunt uniuſcujusvis Alberti Magni, aut Lemnii, aut Mizaldi naturæ miraculis occultis. (Ignoſcite, me *occultum* nominare oportere id, quod pueri quandoque in Pædagogio legunt) Critici ampla ſalaria habent, & pauca vocabula. Studioſi multa legunt, pauca prodigunt. Subditi pro principibus ſuis frequenter orant, & non ſunt curioſi. Cives non calumniantur, ſed obſequuntur. Ruſtici humani ſunt, non infideles. Mariti patientes ſunt, non zelotypi. Uxores imperare neſciunt, & poſſunt ſilere. Mendici laborant, nec rempublicam augent numeroſâ prole. Muſici & Typographi non ſitiunt. Pharmacopolæ non vendunt quid pro quo. Mechanici, non ſunt procraſtinatores. Mercatores non ſunt avari. Chymici non mentiuntur. Judices, non callent dialectum Doricam. Sed qui putat hos mores in Europâ ſemper & ubiq;

 poſſe

posse introduci, ab *opinione* fallitur. Quoties in Stoicorum Philosophiam descendimus, invenimus tot robustę sapientię præcepta, quibus imbuti omnes vulgi opiniones facilè contemnere possumus. Socrates nunquam gemuit, non quia calamitatem non habuit, sed quia credidit res omnes tales eſſe, quales *opinione* suâ conceperat. Fruſtra accuſamus Fortunam, tanquam cœcam & potentem. In manu noſtrâ poſitum eſt, eam debellare. Sapiens, illi non par tantum eſt, ſed major. Arma, quibus domatur, ſunt innocentia & conſtantia. Quibus accincti, inter bona numerabimus, quæ jam mala videntur, & inter contemnenda, quæ jam æſtimamus. Quid pulchritudo eſt? Ob eam raptus eſt Ganymedes, Daphne in laurum mutata, Gelmus puer in adamantem, Venus in piſcem. Fabulæ illæ quidem ſunt, fateor: Sed tamen fidem iis hodie habere. Arcana ſunt, illius reipublicæ, cujus primus autor & parens Homerus, cui volupe fuit ſapientiam ſuam his ineptiis tegere. Divites beatos putatis? Sed *opinio* vos fallit. Quid enim aurum eſſet, niſi ei precium daret ſuperbia & ſtoliditas noſtra? Quid opes, ſi tantùm opes? Midas dives fuit, ſed aures aſininas habuit. Non eſt, ut mihi objiciatis, quod olim Senecæ objectum fuit, de quo dixerunt Romani, quòd divitias verbis ſubinde contemneret & paupertatem laudaret, & interea gazas ferè, imò verò regias poſſideret. Noſtis omnes, fortunam meam non eſſe ſupra mediocrem. At credite mihi, vivitur parvo bene, cui paternum SPLENDET in menſâ tenui ſalinum. Animo ſuâ ſorte contento, PARUM ſufficit, avaræ *opinioni*, NIHIL. Ein jeder folge ſeinem Sinn, ich halts mit meiner Schäfferin, und wechſel meinen Hirten Stab, nicht umb einen Zepter ab. Sunt qui in militiâ (prope dixeram malitiâ) aliquam quærunt felicitatem: Sed ab *opinione* falluntur. Legimus de horrenda militis voce: *Hoc vulnere pro libertate* publicâ accepi, hunc *oculum pro vobis impendi.* Date mihi ducem, qui *me ducat ad liberos meos.* Nam ſuccisi *poplites membra non ſuſtinent.* Alii felicitatem ſuam quærunt in promptitudine linguæ, & in id incumbunt, ut omnes linguâ ſuâ trahere atque retrahere poſſint, quòquò velint, quemadmodum fecit Epiſcopus Sedunenſis, de quo Franciſcus I. Gallorum Rex dicebat, ſibi plus negocii feciſſe unius Epiſcopi eloquentiam, quam Caroli Cæſaris arma. Sed & ipſi tandem ab *opinione* falluntur. Tullius, decus illud eloquentiæ Romanæ, cujus

jus facundiâ toties Reſpubl.ſervata, toties oppreſſæ conjurationes, cœleſte illud caput, quod complectebatur, quicquid ſcire poterat, pro mercede abſciſſum reportavit. Sunt, qui diu vivere, pro ſummo bono æſtimant. Sed ab *opinione* falluntur. Priamus longævus fuit, ſed tot fere tumulos ſuorum vidit, quot annos. Seu diu, ſeu brevi vivamus, vivimus morituri, imò vivimus morientes. Satis diu vixit, qui vixit ſibi, nec defuit illi ætas, qui benè uſus eſt tempore, quod accepit. Sunt, qui nec pares, nec ſuperiores ferre poſſunt, & proinde pro ſummo loco certant, quemadmodum pueri in Pædagogio. Quaſi verò indignum ſit & non juſtum, ſe magnos eſſe & non ſimul maximos. O quàm falluntur ab *opinione*! Non locus viro, ſed vir loco conciliat autoritatem. Sol eſt præſtantiſſimus Planeta, neque tamen primum locum obtinet inter planetas. Dic mihi quis primus fuerit inter ſeptem ſapientes Græciæ? Sufficit cuique, fuiſſe ſapientem Græciæ. Vehementer me nuper oblectavit imago bellicoſiſſimi *Herou*, Johannis de Werth, cui ſubſcripta erant hæc tantùm verba: *Hic eſt Iohann de Werth, qui titulos omnes meretur & nullos ambit.*

Pretura mœret orba cùm ſtruma ſedens
Selle in curuli, Conſularis dignitas
Patitur repulſam, cùm repellitur Cato.

Fieri equidem ita amat, ut famam alii mereantur, alii habeant, ſed quid tum? Aureus nummus manet aureus, etiamſi in cloacâ jaceret. Etiamſi plebejus id ad tempus non crederet, Jupiter tamen pluvias benignas quandoq; mitteret ut ſordibus ablutis, auro rediret ſplendor debitus. Olim in famulitio Jovis fuerunt LABOR atque VIRTUS. Virtus pulchra fuit & nubilis. Itaque labor amore ejus incenſus matrimoniali nexu eam ambivit. Conſenſit Jupiter, & nuptiæ multâ pompâ celebratæ. Vixerunt poſt nuptias ſuaviter & concorditer. Sed Virtus laboris conjux per annos XX. fuit infœcunda, adeoq; à cætera fœminarum cohorte contempta. Tandem miſericordiâ eam tetigit Lucina, & Jovem exoravit, ut probam bonamq; virtutem fœcundam faceret. Jupiter victus eſt illa precum aſſiduitate & VIRTUS uterum gerere cæpit, tandemque enixa eſt HONOREM. Honor itaq; ſemper virtutis umbra eſſe voluit, & ſi umbra illa ſerò virtutem comitata eſt, ſemper longior fuit. Annon miſerrimè ab opinione
falle-

fallebatur Witzenburgenſis ille, qui ab aratro, ut Rex ille Poloniæ, vocabatur ad faſtigium prætoriæ dignitatis? ille, inquam, qui protinus credebat, ſe onera totius Imperii Romani ſuſtinere humeris ſuis. Cumque ei aliquando obviaret vicinus aliquis, & Catonianam hominis ſeveritatem alioſq; mores prorſus mutatos cum admiratione contemplaretur tandemq; interrogaret: Ey Hans, du lieb Hans, kenneſtu mich auch noch? Prætor ille novus, barbam ſuam Æſculapiam ſemel atq; iterum mulcens, voce ad omnem gravitate compoſitâ reſpondebat: Inepte, quomodo TE noſſem, qui me ipſum non novi? Potuiſſes quoque magiſtratum tuum humiliori cultu atque alio honore excipere. Cæterum conjugem ſuam jubebat agreſtium morum obliviſci, ruſticum quoque veſtimentorum habitum ancillis relinquere, & inpoſterum in victu, amictu, omniq; converſatione meminiſſe, quid deceat Prætoris conjugem. Cogita, mea Anna, ajebat, TE nunc in pago hoc imperatricem eſſe & leges dare, non accipere. Prætoris Anna, ad ſartorem properabat, & novas ſibi veſtes confici curabat. Sartoris diligentiã neq; dies neq; quies, ac ne momentũ quidem tenue ſufflaminabat, donec Dominæ imperatrici ſatisfecerat. Dies ſolis erat, cùm ſartor afferebat novas veſtes, quibus dum Domina Anna induebatur, dum ob defectum ſpeculi afferri jubebat amphoram aquâ plenam, ut in eâ imaginem ſuam poſſet contemplari, dum tota familia nunc de hac, nunc de illa veſtium parte judicabat, & omnes non minus in ornandâ Dominâ Annâ occupati & negocioſi erant, quàm pueri illi, qui in depoſitione beanorum miniſtrare ſolent, & vulgò vocantur die Spöuleſer; dum, inquam, omnes concurrebant, ac ſi novus Hetruriæ Dux creandus eſſet, interim concio ad finem properabat, adeoq; omnes clamabant, Dominæ Annæ feſtinandum eſſe. Ibat igitur, & adhuc in limine templi erat, cùm Paſtor concionem concluderet, & auditores omnes ſurgerent. Anna putabat, homines ideò ſurgere, ut externis etiam geſtibus teſtarentur, quo cultu, quâ ſubjectione venerarentur novi Domini prætoris conjugem. Proinde ovillo faſtoque capite manibusq; nutantibus clamabat: Sitzt still, ſitzt still! Es dencket mir noch wol der Tag, daſs ich euwers gleichen war, vnd die Nuſs [illegible] hieſs. Allein dencket nicht mehr, wer ich war, ſondern wer ich bin. Es gehet mir auch wie jenem Schulmeiſter, der Meſs [illegible], vnd

ein

einStim hôret,die ſprach:Gregori,las denMiſt ſtehen,du biſt zu hô-
hernDingen beruffen. Mundus regitur quatuor contractibus inno-
minatis,inquit JCtus ille Jenenſis. Quatuor verò contractus inno-
minatos eſſe audio, *do ut des, do ut facias, facio ut facias, facio ut des*. Qui
non credit omnia etiam à ſuperſanctiſſimis fieri propter hos con-
tractus,is ab *opinione* fallitur. Nam cur toties dicunt, *bona Dies?* Non
ob aliud, quàm ut alter reſpondeat, *ſemper quies*. Cur toties dicunt,
dem Herrn meinen Dienſt? Ut antipha ex altero choro reſpondeat:
Des Herrn verobligierter Knecht vnd Diener. Cur toties dicunt,
ô Domine compater,quantus vir erit filius tuus! Quanta reipublicæ
columna eſt gener tuus! Cur inquam ita dicunt,& tamen aliud cre-
dunt? Ut adulatorium echo reſpondeat: Imò Domine compater,ſi
ignavi ſocii mei adæquarent virtutes tui filii, tui generi, tum me-
caſtor, feritem ſublimi vertice cœlum! Waſch du mich, ſo vvaſch
ich dich, ſo ſeyn vvir alle beyde zvvey ſaubere Büblein. O quàm
multi ſunt, qui innocentes non defendunt, quia formidabilis eſt
offendendus! Quàm multi ſacrificant Diabolo, ſaltem ne eſuriant,
aut anathemate percutiantur. Eos, qui in faſtigio rerum humanarũ
ſedent,felices putatis. Sed *opinio* vos ſæpe fallit. Cui Deus multa de-
dit,ab eo quoque multa repoſcet. Felix,qui quantulocunq; talentulo
ſuo bene uſus eſt. Cur inſtitores figurã caſei lignei exponunt conſpe-
ctui prætereuntium? Cur politici omnia agunt pro FORMA? Quia
mundus vult falli opinionibus, & juxta Senatusconſultum Meta-
phyſicorum, FORMA DAT ESSE REI. Ajunt, vinum bonum
debere placere quinque ſenſibus; *Viſui* nimirum,colore; *odori* deni-
que & *ſapori*; *tactui* quoque frigiditate. Sed,inquis, quid *auditus* faci-
et ad augendam bonitatem vini? R. Quia mundus fallitur opini-
onibus,multum generoſiſſimo vino vel addet vel detrahet homi-
num aliorum commendatio. Non ſine riſu recordor, me olim in
Academiâ quâdam Boreali uſum fuiſſe converſatione celeberrimo-
rum quorundam virûm. Quoties in prædio quodam ſuburbano
conveniebamus, ut animos ſeriis ſtudiis & lucubrationibus mace-
ratos variis jocis eruditis refocillaremus, me ſemper interrogabant,
an vinum appoſitum bonum ſit? Si annuebam, protinus putabant
mihi tanquam homini in terris, quas non adeò iniquus amavit Ba-
chus,nato,in hâc arte credendum eſſe. Magnâ igitur aviditate, VAP-

E PA il-

ex illâ eluebant guttura, & à merâ *opinione* ebrii reddebantur. Ea vis
OPINIONIS eſt, ut ſupra ſe ipſam reflectatur, & de opinione o-
pinionem formet, planè ſicuti à ſole parelius, ab hoc ipſo alius re-
fulget parelius, ab iride iris, ab hac tertia iris; aut ſicuti projecto in
aquam lapillo circulos poſteriores ex prioribus naſci videmus. Di-
cam breviter, 98765432000000000000 circiter verbis. Quo-
tusquiſque mortalium eſt, qui non ab opinione fallitur, ſive dormi-
ens aureos montes ſomniat, ſive vigilans optat, quod non invenit.
Talis fuit Micyllus ille Lucianicus, cui niſi galli cantus divitias illas &
aureum ſomnium abrupiſſet, non optaſſet aliam felicitatem. Quo-
tieſcunque plauſtra mendaciorum congeri auditis, toties plauſtra
opinionum vectari credite, quorum auriga eſt credula fama. Qui ſtu-
pendis ac prodigioſis gaudent eventibus, vel audiendis vel narran-
dis, non niſi ab opinione falluntur, cujus opinionis tanta eſt ſuavi-
tas, ut quò fabulæ à vero abeunt longiùs, eò & credantur lubentius
& aures jucundiore pruritu titillent. Tota Homeri Ilias & Odyſſea,
quid habent niſi eruditam fictarum opinionum farraginem, quibus
ita inclaruit iſte nugarum pater, ut de patria ejus contenderint
Smyrna, Rhodos, Salamin, Colophon, Chios, Argos, Athenæ?
Virgilius, qui Æneidem ſuam filis Homericis texuit, annon quoque
fallitur, dum Æneam per Elyſium nemus ad ſuperos reducit, eâ
portâ ab

Quâ falſa ad cælum mittunt inſomnia manes?

Quid ingenioſiſſimus Ovidius facit, niſi, quòd ſapientes, ſtultitiâ ta-
men rectas opiniones ingenerat, dum cæcitatem Tireſiæ, & detra-
ctam Marſyæ cutem, & hac veſte Dianam vanit? Vulcanus, qui ſu-
lâ recti inceſſus privatione querulæ Junonis riſum movit; Silenus,
Pan, Priapus, Satyri, Najades, Hamadryades, & alia ad jocos & fa-
cetias comparata nomina, nihil ſunt, niſi otioſarum mentium fictæ
opiniones. Quas, quanti æſtimaverint veteres, vel ex hoc uno li-
quet, quòd vaſtam cœli machinam, cujus lapſus eſſet periculoſiſſi-
mus, (dann es blieb keine Kachel in keinem Ofen gantz) ſuſtinue-
rint ficto Atlante, id eſt *opinione*. Heri ſedebam in ſellâ meâ profun-
dè & ſecurè dormiens. Neque enim mihi ſemper vigilare libet. Pu-
tabam in ſomnio, me venire in urbem aliquam, quam latè amœni-
ſſimorum camporum oblectabat ſpectaculum. Fluvius eam diſſeca-
bat,

bat, qui deinde non repugnanti pelago miſcebatur, ita ut in utriusq; undæ confinio, non fremitus diſcrimen faceret, non ſpuma, ſed color. Arbores, quæcunque fluviis gaudent, utrinque cum cæterâ riparum imagine ludebant in aquis. Urbs ingens erat, & Mercatorum commercio gravis. Non ei anxiâ arte quæſitus erat decor. Plura naturæ debebantur, cujus ingenium atque facilitas omnium artificum labores facilè ſuperat. A dextrâ mons videbatur, vineis hortisque excultus. Sub ipſo montis jugo magna planities ſe extendebat, uberrimâ viriditate ſuâ pecorum paſtui ſufficiens & ambulationibus apta. Ædificia pauca recenti artificio nitebant, ſed plura rudia impenſius in vetuſtatis reverentiam colebantur. Veniebam ad arcem Principis, ante cujus veſtibulum patebat hominum curruumque area capaciſſima, ubi cùm paululum ambulaſſem, audiebam in viciniâ celebrari nuptias. Protinus igitur curioſâ aure me applicabam ædibus illis, ubi tandem audiebam hominem quendam hoſpitibus gratias agere pro præſentiâ, quos denique feſtivo ſermone adhortabatur, ut cogitarent inſtare feſtum Martini, nec obliviſcerentur ſe Germanos eſſe, adeoque premerent veſtigia proavorum, & more Palatino biberent, ne gutta ſuperſit. Nam, ajebat, & ipſe Seneca ſeveriſſimus ille vitiorum objurgator, ebrietati ſæpè ad vomitum uſque indulſit. Et hoc inſtar efficaciſſimi medicamenti eſſe, credunt præſtantiſſimi Æſculapi filii. Alexander Magnus ille Orientis domitor, nunquam ad arma acceſſit, niſi bene evacuatis poculis. Narratur & priſci Catonis ſæpè mero caluiſſe virtus. Ecquem igitur pudebit, facere ea, quæ Seneca fecit, quæ Alexander Magnus, quæ Cato, quos vitæ Duces habuiſſe, non veniâ tantum, ſed & laude dignum judicârunt antiqui. Quæritis, ajebat, ô hoſpites, cur hæc ipsâ ore tam trepido dicam? Nondum ſatis bibi. Aſt ſi diutius bibero vinum, tum loquètur mea lingua Latinum, & Latinum quidem optimum. Plura alia addebat, ad quæ dum hoſpites ridebant, furtim me ſubducebam, & in diverſorium publicum veniebam, ubi Studioſi quidam convenerant pennalis abſolvendi gratiâ. In ſomnio illo putabam, me peregrinum eſſe, nec alibi mihi melius eſſe, adeoq; cum lupis ululandum, cenſebam. Et primò quidem cùm conveniebamus, amiciſſimæ ſalutationes præmittebantur, & poſt prolixa, ſed arcana murmura, inter capitis dimiſſiones

pedumque varias diſpoſitiones nihil tandem audiebam, niſi *Monſieur Voſtre ſerviteur*. Es geſchahe ein ſolch Handtruckens, als ob alle Metziger zu Lintz auff dem Viehmarck zuſammen kommen weren, Vngariſch Vieh zu kauffen. Dici non poteſt, quàm alter alteri decentem honorem exhibuerit, & quàm difficulter ſedibus ſuis ſint admoti. Deinde profundo ſilentio dapes primæ abſumebantur, minutiſſimis potiunculis dilutæ. Poſteà cùm vino nonnihil incaluiſſemus, duo procumbebant in genua, mutuam amicitiam per neſcio quæ ſacra jurantes. Alter Ziphuſius vocabatur, alter Hortenſius. Poſt varios amplexus Hortenſius tandem, ajebat: Si mihi ô Ziphuſi fratris ſuaviſſimum nomen concedis, ſi dignum eo nomine affectum indulges, me dehinc unicum patri meo non putabo. En pectus meum Germanicum, quod ô utinam dividere, & tibi partem ejus communicare poſſem. Dic Zipphuſi, in quâ occaſione pro te mori poſſim? Intelliges, vitam mihi imperiis tuis longè longeque viliorem eſſe! Zipphuſius & ipſe blandiſſimus agebat gratias pro tanto affectu, & ut oſtenderet ſe quoque paulò exercitatiorem eſſe in eloquentiâ quàm ii, qui invitare ſolent ad nuptias, protinus prolixam Chriam recitabat, quæ ita concepta erat, ut vel Æneæ Carthagine abituriënti aliquam injeciſſet moram. Laudabat M. T. Ciceronem, illum eloquentiæ Romanæ parentem, quòd multas protulerit præclaras ſententias, quibus hominibus commendaverit utilitatem amicitiæ. Harum ſententiarum paraphraſin inſtituebat, cauſas reddebat, eaſdemque amplificabat à contrario, ſimili, exemplo & teſtimoniis aliorum ſapientum. Nondum concluſerat, cum Hortenſius dicentem interpellans, bibe, ajebat, fratercule, aut ſurge. Nam genua mea inſigni dolore torquentur. Hic Zipphuſius, non ſine indignatione exclamabat: Putabam, ô inepte, te pro me velle mori? Cur igitur paulisper procumbere tibi pœna eſt? Sed ſurgamus. Vix ſurrexerant, cùm neſcio quo invido fato, lis naſcebatur de quæſtione quadam Criticâ. Zipphuſius interrogabat, unde derivetur locuſta? Locuſta, reſpondebat Hortenſius, dicitur, quia longos pedes habet ſicut haſta. Id Zipphuſius negabat, & protinus effundebat aliquot ſyllogiſmos, in quorum concluſionem non quidem veniebat altera præmiſſarum, ſed cantharus, quo alter alterius frontem ſignabat. Inter hæc ipſa verbera

adhuc

adhuc clamantes audiebam. ad Majorem, ad Minorem. Proba antecedens. Reduc Syllogiſmum. Diſtinguo inter materiale & formale. Ha, ha, he, quàm miſerum argumentum. Eſt in primâ figurâ & minor eſt negativa. Protinus aderat, qui primas in convivio tenebat, is ſilentium imponens, lateri meo ſe applicabat, & amicitiam meam ambiens inter officioſæ ſubmiſſionis verba nihil artis omittebat. Tandem narrabat, ſe integro quinquennio vixiſſe in Academiis, & non ſemel invitatum, ad aſſumendos honores Doctorales. Protinus igitur poculum capaciſſimum arripiens, dicebam, Tibi Nobiliſſime Dn. Candidate propino. Quanquam credebat, me hæc ſerio animo & nimis verè loqui, titulos hos tamen ambitioſiſſimâ modeſtia recuſabat dicens: In jure noſtro Juriſconſulti quidem vocantur *Nobiles l. 2. §. fin. ff. de excuſat. Imò Nobiliſſimi l. 4. §. 1. in fin. ff. eod.* Sed quæſo tamen, ne pudorem & tenuitatis meæ conſcientiam oneres hac titulorum mole. Imò, ajebam, ſis bono animo optime vir. Hæc mea conſuetudo eſt. In titulis nunquam ſum parcus, ſive quis Reverendus appellari velit, ſive formidandus, ſive viſibilis, ſive ſpectabilis. Domi mihi naſcuntur verba. Non ea in nundinis Francofurtenſibus emo. Et crede mihi, nullâ re faciliùs impetrare poſſum, quod volo, quàm ſpecioſiſſimis titulis. Quid rides? profectò, qui vento paſci volunt, indigni ſunt alimento alio. Sed obſecro atque obteſtor veſtrâ amplitudinem (ewer Weitlaufftigkeit) ne me prodat. Nam ſi homines noſtri intelligerent, me non toto pectore profundere titulos, inpoſterum omnes haberem inclementiſſimos. Ab his ſermonibus divertebamus ad alios graviores, inprimis verò ad contemplanda onera S. R. Imperii. Candidatus ille gravi oratione diſſerebat, quibus artibus, quo ſtratagematum genere, Galli vincere poſſint Hiſpanos, quomodo denique anguſtias freti Herculei vel lapidibus, vel aliis rebus ſolidis implere & mari imperare poſſint, ut ſe alium in locum transferret. Ita enim homines iterum ex Europa in Aſiam atque Africam ſicco pede ambulare poſſe. Imò, ajebam, Domine Candidate, ſi mare imperio Gallorum non obediret? Tum reſpondebat Candidatus, in promptu eſſet facillimum remedium. Man müſte jhm den Hindern mit Ruthen ſtreichen, gleich wie Xerxes in expeditione contrà Græcos, dem ungehorſamen Helleſponto ein guten Product geben ließ. Sed re-

 gere-

gerebam, ſi malè imitaretur pertinaces infantes, quorum pertinacia etiam ſub virgis creſcit? Tunc blandimentis movendum eſſet, reſpond. Candidatus. Donandus ipſi eſſet annulus, quemadmodum quotannis facere ſolet S.P.Q. reip. Venetæ. Adhuc ita diſſerebamus, cùm alia jurgia orirentur. Aſſidebat quidam, magnâ eruditione eminens, quem dicebant, eſſe pennalem domeſticũ. Non tibi, dicebant, competere poſſunt Privilegia à Friderico Imperatore Studioſis conceſſa, *authentica habitâ. Cod. ne filius pro patre.* Neq; enim ſtudiorum gratiâ peregrinatus es, neq; ex divite factus es pauper. Me inſpice, qui multa vidi feciq; puer, ſudavi & alſi. Quot ſumptib. credis me exhauſiſſe patrimonium? Pro convictu annuo inſumo 78. imperiales, ſeſqui imperiales puta hebdomatim EXTRA 52. Vngar. Mercatori 40. imperiales. Sutori VI. & ſartori totidem. Pro libris verò nonne 30. imperiales inſumere, papyrum, calamos atq; atramentum annumerando? Pro Collegiis equidem, aut parùm, aut NIHIL. At lorrici, tonſori, pedello! O! vos aſini neſcitis, quàm arctũ literatorumq; Academicorũ theſaurus veneat, & cur nos tot privilegiis diſtinguamur à plebe. Multa patientiâ auſcultabam, tandemque levi manu humerum illius ſupercilioſi hominis verberans compeſce, ajebam, animum huc, amice mi. Quid intereſt, quòd jam invicem ſcimus ſuperſtitioſo ſilentio diſſimulare? Annon amicitiam colimus in diverſis Academiis? Sed dic, ô bone, quid utrique profit pervaſiſſe totius urbes, mediosq; fugam tenuiſſe per hoſtes? Quid juvat, poſſe cum equo hinnire, cum aſino rudere, cum vulpe gannire, cum cane latrare? Quid juvat, ſcire aliorum aut linguas, aut mores, ſi ex his nihil ad vitam bene beateque degendam, aut ad nos venit, aut ad Patriam? Ea, quæ in Patriâ noſtrâ ſunt, non curamus; quæ abſunt, magnoperè affectamus, & nullibi minus ſumus, quàm ubi eſſe debemus. In pueritiâ meâ novi Sartorem, qui viderat Romam Capitoliumque, San Marcanum Theſaurum Venetum, Pyramides & Mumias in Ægypto, Ædem Lauretanam portumq; Anconitanum, San Laurentianum Eſcurialis monaſterium, flammivomum Ætnam & Hipolenteum Indicorum negotiorum domum, Giſſam verò veniens caligas meas obſoletas reſarciebat, & mater mea non plus mercedis illi dabat, quàm iis, qui limites Haſſiæ nunquam erant transgreſſi. Non ſine vehementiſſimâ animi commotione me audiebat Pancratius, (nam id homi-

hominí nomen erat) & ſcio, ajebat, amice mi, te hæc philoſophandi magis causâ dixiſſe, quàm quòd reverâ ſic ſentias. Tune peregrinationes damnabis? Quàm te inpoſterum delectabit in conviviis & conventibus tacitè glorioſulos audire, & ſubitò veluti ex inſidiis examinare poſſe, in quo diverſorio hîc aut ibi pernoctârint, quod urbis ſignum ſit? quâ viâ in ſphæriſterium eatur? Si neſciverint aut dubitaverint, illis pudorem, tibi ingentem admirationem conciliare poteris. Annon magna ſapientiæ Academicæ pars eſt, ſcire, an cerevisia Roſtochienſis melior ſit Naumburgenſi? Hæc temulentâ linguâ dicentem ſomnus invadebat, adeoque ſociis ſuis in comportato ſtramine jacentibus ſe adjungebat. Aderat annoſus quidam Magiſter, qui lacero palliolo, feneſtratis caligis & induſio perflatili incedere ſolebat. Is ſubjectâ manu mentum excipiens, in menſam reclinis erat, & profundis ſpeculationibus melancholicis animum miſcebat. Tandem improviſo impetu ſurgebat, lignorum acervum comportans, cui Plinium, Plutarchum, Ariſtotelem, & Ciceronem aliosque egregios libros imponebat, ut in excitatâ flammâ perirent. Quæ TE, ô bone vir, ajebam, dementia cepit? Cur ita ſævis in optimos libros? Quia, reſpondebat, mihi cauſæ ſunt omniũ malorum. Dum enim nocturnâ atque diurnâ manu eos volvo atq; revolvo, dum in officiorum rotam perpetuò intendo, dum patronos meos (quos inter ſanctos referre, Pontificiis diſſuadeo. Sunt enim inexorabiles, niſi preces auro ſuffulciantur) aſſiduis precibus fatigo, & neſcio, quos non ſollicito, ut me ex pulvere & luto attollant, fit, ut eos, quos prope exoraveram, aut mors, aut alius caſus avocet, & novos ſubinde objiciat mihi conciliandos. Interim dum novi illi, partim vanâ ſpe me lactant, partim mecum de fortunâ bonis viris inimicâ conqueruntur, ætas perit, ingenium ipsâ impatientiâ hebeſcit, nummi diffluunt, amici & conſanguinei fatigantur, animus deſperatione marceſcit. Qui ſummæ rerum præſunt, inter ſe & filios terram, quæ pinguis eſt, optione dividunt, indeque ſibi veluti per ſcalas ad rerum faſtigia ſuccedunt. Nos miſelli tandem aliquando damnamur ad labores, eoq; duriores, quò in conſanguinitatis arbore ramuſculis inſidemus remotioribus, & fortunâ difficulter placatâ aliquot florenos ex adminiſtrantium forcipibus vix tandem eripimus. Hinc quia nec ſtudia æſtimantur, nec querelæ exaudiuntur,

cur, ejurabo omnem ſapientiam, & arti coquendi cereviſiam mentem manumq; conſecrabo, ne tandem & poſteri mei cogantur aut eſurire, aut adorare homines, quos vel natura barbaros, vel fortuna ſuperbos fecit. Omnis honos, onus. Onera autem imponuntur aſinis, non equis. Equo vix fœnum datur, at pſittaco ſaccharum. Prophetam non eſſe acceptum in patriâ, eſt edictum Domini Deiq; noſtri. Quæris, cur accepti ſint pauci alii? Quia non ſunt Prophetæ. Quemadmodum filius aſpera patris verba patienter audit, quæ extraneus æquo animo concoquere non poſſet, ita lubens meritoque ferrem, ſi quid moleſtiæ patria imponeret, niſi miſeria mea præter omne exemplum eſſet, & omnes quaſi conjurâſſent in meam perniciem. Malè ſit hominibus illis, qui ſibi aliquid decedere putant, ſi quis extra ſe ſuosque nititur ad excelſa. Longè aliud facerent, ſi candidè patriam amarent, imò ſi ſeipſos ſapienter. Nam quid illuſtrius, quàm homines ad ornatum ſeculi editos in clientes ſibi parare, dubitaturos certè, an Patriæ plus debeant, quàm illis, per quos promoti? Non neſcio, quo plerique errore peccent. Quia de liberioribus ingeniis peſſima quæque ſuſpicantur, mancipia ſua ſubornant, ut bonis & incautis inſidientur. Hi deinde, ut habeant, quòd dicant, ſæpè aliquid fingunt. Fictas verò has delationes, Grandes illi, non ſolum pro oraculis ex tripode Apollinis profectis habent, & pro veris tradunt famæ, ſed & magno zelo vindictam crepant. Neſcio, quo fato fiat, ut adulteræ & veneficæ & cuivis deinde nebuloni hâc in re plus credatur, quàm innocentiſſimo & probatiſſimo viro, innocentiam ſuam voce, ſtylo, teſtibus probanti. Unde tantus odii ardor, niſi ex nimio ſui amore, ex nimia ſui admiratione? Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas. Qui ſtatuam non adorat, anathema ſit. O ſi in nos ipſos, id eſt, carnem noſtram & ſpiritus rebellionem odia converteremus, facilè aut erranti, aut diſſentienti fratri ignoſceremus! Non mihi ſatis grata auditu erat hominis illius odioſa Philoſophia, ideoque plura dicere vetabam, monens, ut ſe ſubmitteret divinæ voluntati. An neſcis, ajebam, Deum per Prophetam increpare eos, qui currebant & non mittebantur? Expecta Deum vocantem. Imò reſpondebat Magiſter noſter noſterq; Magiſter, ſi expectare poſſem aliud ſeculum. In univerſa Theologia non alius articulus majoribus dubiis animum meum afficit, quàm

is de

is de vocatione miniſtrorum. Alia enim in cathedrâ docentur, alia in praxi obſervantur. Aut vehementer fallor, aut vocatio ſæpè nil aliud eſt, quàm favor ſuperiorum. Nam quis hodie audiet, è cœlo loquentem ipſum Deum? Poſtquam varia homini reſponderam, tandem, credo, ajebam, optime Magiſter, plures propriâ culpâ, quàm fatorum injuriâ violari. Crede mihi, multa videntur & non ſunt, multa ſunt & non videntur. Qui emergere vult, illi compendiaria via erit, peregrinarum gentium oblivisci & ad illum locum, cui naſcendi conditione obnoxius eſt, omnia accommodare, ejus mores, leges, conſuetudines exactè obſervare, laudare & fortiter defendere, ordinarios & ſolennes aſcendendi modos apprehendere, præeuntes ſequi, patronis inſervire, eoſdem quâcunque diligentiâ facere propitios, & mores ſuos ex eorum ideâ exemploq; formare, ſententias eorum & judicia amplecti, de nullo dubitare, omnia credere, omnia admirari. Hoc qui facit, etiam Aulæ imperare poteſt. Fatebor tibi, Domine Magiſter, me quoque curioſiſſimis ambagibus ingenium meum fatigaſſe. O quàm multis in rebus me fefellit opinio! Sed hæc vitia ignoſcenda luxurianti juventuti meæ, è quâ tandem enatare propero, virilis ſenſus conſcius. Si putas, te amici tui divitias ſemper explicando emergere poſſe, *opinio* TE vehementiſſimè fallit. Ingenioſa Poëtarum gens finxit, Jovem olim varias amâſſe fœminas, & ut eaſdem ad reciprocum amorem cogeret, interdum in aquilæ, interdum in cygni, interdum in tauri, interdum in aurei imbris formam ſe convertiſſe. At Junonis gratiam ambientem tranſmutare ſe voluiſſe in miſerum cuculum, imbre & tempeſtate madefactum, attonitum, tremebundum, ſemimortuum, omniumque ludibrio expoſitum. Si ſapis, imò ut ſapias, has Jovis artes imitare, & interdum viribus ingenii aut eme aut terre populi favorem; interdum ignaviam & ſtultitiam ſimula apud eos, qui non poſſunt ferre pares; interdum obſequiis & ſervitiis tibi explana iter ad honores apud eos, qui ſervilia ingenia aut habent aut amant. Scias deinde, non minimam ſapientiæ partem eſſe, non facilè ſapere velle ultra ſeculum ſuum. Novarum rerum ſeu indagatores ſeu inventores, patronis deſtituti, tandem poſt infinitos errores, inexplicabiles labores, varia paradoxa, celebri turbines, animi nauſeam, corporis debilitatem, vicinorum

& commilitonum ſuorum odia aſſequuntur, & tandem ad ſeram moleſtamque pœnitentiam venientes, ſibi exitio, aliis exemplo ſunt. Adhuc efficaciſſimis ſolatiis aliis animum illius perfundebam, cum animadverterem juniorem quendam virginis alicujus non repugnantis manum apprehendere, quam deinde ita alloquebatur: Allerſchönſte Jungfraw. In dem ich verliehr, gewinne ich, vnd in dem ich gewinne, verliehr ich. In dem ich verliehr ſcilicet mein vorige Geſellſchafft, gewin ich ewer lengſter wünſchte Gegenwart, vnd in dem ich ewer Gegenvvart gewinn, verliehr ich meine ſiberter. Evver Schönheit, vvelche vveit vveit vber den horizont der Vollkommenheit geſtiegen, hat mein Hertz vnd Verſtand ſo gefangen, das ob ich wol hiebevor die ſcharpffe Pfeil des Cupidinis verlacht, ſo muſs ich doch jetzo für dem Altar ewer extraordinari Qualiteten niederknien, vnd euch mein inbrünſtiges Hertz in tieffer Demuth auffopffern. O jhr allerſchönſte Venus, die jhr viel ſchöner ſeyt als die Venus auſs Cypern, vvas für ſuperlativos ſoll ich doch jetzo brauchen, damit ich euch bezeugen könne, vvie hoch ich evver perfection venerire. Ach Madamoiſelle die jhr ſo ſchön ſeyt als vnbarmhertzig, vnd ſo vnbarmhertzig als ſchön, ich könt euch billich vergleichen mit dem Keyſer Nerone, vvelcher ſeinen luſt daran hatte, daſs er von einem Thurn die Statt Rom brennen ſahe. Dann jhr ſehet auch oben von dē Thurn evver hohen meriten brennen, nicht allein die Statt vnd Vorſtatt meines zu gar verliebtē Hertzens, ſondern auch die Kirche ſo ich euch darin gebavvet vnd cōſecriret. Es ſtehet in evver macht, mich in dieſer Flam zu ſalviren. Vnd vvarlich vverdet jhr mich zu der deſperation bringen, vnd vverdet euch nicht als vvie eine ſchöne Roſe laſſen abbrechen von mir, der ich auſs dem fonte nympharū caballino ſo manche Trunck hauſtix... gethan, ſo vvil ich den Phœbum bitten, daſs er euch in eine Diſtel verwandeln ſolle, damit jhr endlich den groben Eſeln zur Speiſe vverdet. Adde his talia fulmina quæcunque ex Amadiſio vel ex Arcadiā petere poterat, cum libidinem ridendi diutius frenare non poteram. Cùm igitur effuſiſſime ridentem me audiret, neſcio quo fugiebât cum Hecubâ ſuâ. Soli mihi neque relictus, ... examinabam ineptias Juvenum, qui putant omnem linguæ Germanicæ elegantiam latitare in ineptiſſimis illis libris cochleatoriis,

ut ita loquar. Fateor equidem libros illos habere ſuam elegantiam in linguâ Gallicâ. Sed non intelligunt ii, qui eos in linguam noſtram transferunt, alium genium eſſe Gallicæ, alium Germanicæ linguæ. Maſculus Germanicæ linguæ genius nil patitur affectati. Aſt ἐνπλάχμα Gallicæ linguæ fere in affectando conſiſtit. Ignoſcat mihi celeberrimus Opitius ille Germanorum Virgilius, quem aliàs magno in precio & honore habeo, ſi dixero eum in transferendâ argenide Barclaii, contra hunc Germanicæ linguæ genium non ſemel peccaſſe. Non verbum verbo debet reddere fidus interpres, ſed ſenſum inſpicere & uniuſcujusq; linguæ indolem conſiderare. Qui genuinam linguæ noſtræ vernaculæ indolem nôſſe geſtit, is ſcripta Lutheri legat aut receſſus imperii. Cæterùm, deplorandum eſt, quod nobiliſſima illa Germanorum Lingua, quæ nec copiâ nec elegantiâ cedit ulli, non meliùs excolatur à Germanis. Non equidem inter conchiliatos equites San-Michaëlios, neq; inter regni pares me numerabunt Galli, at vehementer tamen laudo prudentiam Cardinalis de Richlieu, quem Profeſſores aliquot alere audio, quibus unica cura incumbat excolendi linguam Gallicam. Cur non ſimili modo potius Germanica, quàm Latina eloquentia docetur in Academiis noſtris? Nam quotuſquiſque eſt cui Latina eloquentia apud Germanos prodeſt, niſi fortè & vivere & mori velit in pulvere Scholaſtico? Theologo multum prodeſſe eloquentiam, nemo negabit. Sed Germanica. Neq; enim Latinè concionatur. JCtus quicquid agit, ſive in aulâ Imperiali, ſive in Camerâ Spirenſi, ſive in Legationibus ad principes alios, ſive in conventibus provincialibus, id omne proferre linguâ vernaculâ. Batavos eloquentiam Latinam tantâ diligentiâ excolere, nemo mirari debet. Tot enim fœderibus juncti ſunt aliis gentibus, quibus cùm loqui non poſſunt niſi linguâ Latinâ. Neque interim Romani Oratores ſunt negligendi, ſed magno in precio habendi ſunt tanquam Promi Condi omnis cordatæ eloquentiæ. Quilibet ſi ſapit, ea quæ apud Romanos legit referre debet ad ſcopum ſuum quem habet in linguâ vernaculâ. Cicero, immortale illud Romanæ eloquentiæ ornamentum, diligentiſſimus erat in audiendis & legendis Oratoribus Græcis. Omnia tamen Græcorum ornamenta tandem referebat ad metam, quam ſibi præfixerat in linguâ Latinâ, atque ita in vernaculâ linguâ ſuâ ita creſcebat,

bat, ut parem non haberis. Si qua mihi fides, perfectam eloquentiæ famam unius anni ſpacio aſſequi poteris in vernaculâ linguâ, quam in Latinâ vix ſperare potes tot annis, quot Troja obſeſſa fuit milite Græco. Hâc tamen conditione, ut cæteris partibus, obſerves methodum, quam tibi Romani præſcripſerunt. Sed [illegible] ipſo expergiſcebar, videbamque hæc omnia fuiſſe phantaſmata vani ſomnii. Videbam verò *opiniones* adhuc ubique regnare. Ecce enim garrulum Ziphuſium, cui tacere pœna eſt, facundum putant homines. Quaſi verò fœcundus dici poſſit ager, qui magnam lolii copiam gignit! Contra brevitas Laconica multis videtur eſſe ignavia. Sed ab *opinione* homines falluntur. Si quid mihi creditis, labor eſt eſſe brevem. Non amo eos, qui multa quidem ſed ſtulta ſcribunt. Veniam meretur ſtultitia, quæ brevis eſt. Endymion mane in lecto ſupinus jacens, ſæpe oſcitando ignavas recitat preces, quas Deo acceptiſſimas fore credit. Sed ab *opinione* fallitur. Quia enim orat, quaſi non oraret; Deus audit, quaſi non audiret. Riſu vel miſericordiâ digni videntur homines illi, qui totâ vita ſerò bibuli, tumultuarii ſunt: hi quando infeliciori hora inciderint ad libellos precatorios propter [illegible] prius pulvere ſervo vultus figurant ad devotionem & multum ſuſpirantes precatiunculas quaſdam quærunt infortunio ſuo convenientes, deinde paginas precationū illarum numerant & ſi plures [illegible] ſunt, libellos verò deponunt aut compendioſiores quærunt. Frigida devotio videtur, quæ è libellis ignē petit. Quid equidem [illegible] Habermanno dici facilè non poteſt. Aſt nihil tamen videtur [illegible] præſcribitam ubiq; quadrans, quàm quod mentem devotam Deum obſequentem effundere jubet ingenioſiſſima & omnium eloquentiſſima neceſſitas. Deus mutos æquè intelligit, & in defectu libellorum precatoriorum ſufficit Oratio Dominica, cui ut recte mundus nil addere, nil demere. Hortenſius totâ die vagatur per compita & vicos, totâ verò nocte accenſâ candelâ illuminat feneſtras. Si putas Hortenſium ſtudere, *opinio te* fallit. Bonus Hortenſius dormit ſecurè & bibit jejunè. Sed famam diligentiæ apud vicinos aliosque [illegible], oleum quidem perdit non operam. Cibilius apud Stoicos legit, ſomnum eſſe fratrem mortis. Ideo ſegniſſime dormit, ut poſſit recordari mortis. Imò etiam quandoque clauſis oculis ſpeculum adit & videre geſtit, qua ſit dormientis imago.

mago. Sed ab *opinione* fallitur. Speras ô Tarquini me publicè TE laudaturum, ſed *opinio* te fallit. Si te laudarem, ſuperbior eſſes. Proinde nolo te laudare. Nam ſatis ſuperbus es. Annon illos quoque *opinio* fallit, qui cum inopiâ ſui laborent, aliena ubique oſtendunt, qui majores ſuos ſemper loquuntur, quos aut à Trojanis petunt, aut ante diluvium vixiſſe ajunt, & ab inundatione, ſi diis placet, ſervatos? Ite, ſi placet, in Scholas Philoſophorum, ubi audietis, accidens non poſſe eſſe ſine ſubjecto. Aſt Nobilitas eſt accidens virtutis. Ergò. Sed nolo hanc litem facere meam. Nolo invidere felicitati ſeculi hujus, ubi totus mundus vult eſſe nobilis. Certè apud Dantiſcanos in Boruſſiâ miſer es, & pinguia non es, ſi non unumquemque nautam vel mercatorem, (qui ligna ſulphurata vendit) nominas Junckerum. Cæterum, virtus illa laudanda eſt, cujus es author, non cujus es hæres. Qui ſe exiſtimat eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit, id eſt, ab *opinione* fallitur. Quidam iu axut cibax, putat ſe cæcâ, & caninâ libidine ſua ſcribendi libros valdè promovere bonum publicum, ſed ab *opinione* fallitur. Capnio interrogatus, cur hoc tempore homines non tàm docti eſſent, quàm temporibus Ciceronis & Quintiliani? reſpondit, homines tum temporis habuiſſe paucos libros eosq; bonos, quos diligenter & aſſiduè legendo ſibi familiariſſimè cognitos feciſſent, nunc autem literatos obrui varietate & copiâ librorum. Sunt, qui in ipſo limine ſtantes ſibi imaginantur perfectam ſapientiam, ſed ab *opinione* falluntur & ſimiles ſunt iis, qui panem naſci volunt non triticum, vinum non uvas, induſium non linum. Dixi in ſerperaſtris meis Oratoriis, quàm miſerè ab *opinione* fallantur parentes, qui in conducendis opilionibus, ſubulcis, mercenariis, ad ſuperſtitionem ſcrupuloſi ſunt, aſt liberos ſuos, quorum gratiâ omnia agunt & patiuntur, inſtituendos tradunt ejuſmodi aſinis, qui citius eos occidere poſſunt, quàm docere. Sunt, qui felicitatem nonnullam negligendam putant, quia ſit laboris filia. Sed ô ignava *opinio*, ideoq; miſerrima! Qui laborem fugit, deſinat eſſe homo. Ei enim triſtis hæc lex impoſita eſt, ut in ſudore vultus ſui comedat panem. Qui ad alta nititur & ad ea non ſtatim pervenit, & ideò deſperandum putat, ab *opinione* fallitur. Quoſcunq; Deus magnæ claritati deſtinavit, eos per pericula & labores prius erudit. Adverſa fortuna viro forti gratiam conciliat,

ſicuti aqua fervens cancris ruborem. Quiſquis es, ſi fortuna furit, noli deſperare. Si fortuna favet, memento TE hominem eſſe. Non ſi malè nunc & olim ſic erit. Habet fortuna regreſſum. Et Deus, qui ſolem Hiskiæ, annon reducem tibi fortunam ſiſtere poſſet? Nuper vir quidam bonus docere cœpit artem quandam, in Germanicis Academiis ſatis ignotam. Sunt naſutuli, qui eam inutilem putant. Sed ab *opinione* falluntur. Si ipſe eam didiciſti, naſutule, cur in aliis reprehendis? Si non didiciſti, cur quod ignoras, calumniaris? Melancholicus quidam olim credidit, omnia anomala Grammatica atq; imprimis quatuor illos imperativos, DIC, DUC, FAC, FER, inſtar Helveticorum rubris caligis indutorum circa decumbentis lectum vigilias agere, ſed *opinio* eum fefellit. Politici dum aliud omnino candorem fermentandum putant, non rarò ab *opinione* falluntur. Satis prudenter, ſi ſatis piè. Olim proavi noſtri bene vivebant ſine Tacito. Magnates paternè imperabant, ſubditi fideliter ſerviebant, Sacerdotes fervidè docebant, grex promptè diſcebat, optimates virtute prælucebant, vulgus candidè ſuis occupabatur, ſive, ut pauciſſimis dicam, omnes honeſtè vivebant, neminem lædebant, & jus ſuum cuiq; tribuebant. Imò, ais, leges illæ naturales ſunt, & non ſapiunt acumen politicum? Reſp. Minus naturales igitur ſunt ii, qui eas tranſgrediuntur, ut ut ſibi imaginarentur neſcio cujus ſapientiam. Poſtquam Politici introduxerunt ſimulationem atque diſſimulationem Ulyſſis, natæ ſunt ſuſpiciones, ex ſuſpicionibus diffidentia. Diffidentia autem illa tyrannis eſt, quæ in republ. ſeparat animos atq; manus. Qui magni nomen in utraque fortunâ deſideras; honores ſemper bonis artibus ſibi compares. Multi menſurant robur & magnitudinem & eruditionem, & in patronorum ſuorum favore tanquam lubrico fundamento ædificant famæ ſuæ & fortunæ domicilium. Sed ſi putant ſtare hoc & poſteritatem pati poſſe, ab *opinione* falluntur. Ille ſecurus ambulat, qui ſuis non alienis nititur. Si putas, tibi à naturâ denegatum, quod aliis eſt datum, *opinio* TE fallit. Diſpice in quo vitæ genere magnitudinem ſpectes. Sive in Eccleſia aut in foro, totum te ſtudiis des, & improbâ quâdam conſtantiâ illis incumbas. Incredibile dictu, quid labor etiam in mediocri ingenio poſſit, quo magis in magno? Et ſolida eruditio diu latere non poteſt. Quemadmodum ignis reprimi non poteſt ſed tandem e-

ſurgit

ſurgit atque altà petit, ſic tandem eruditio ad ſublimia ducit amatorem ſuum. Sin è militiâ magna expectas, VIGILANDO ET AUDIENDO ID conſequeris. Si in aulâ vivere TE delectat, obſequendo & ferendo, beneficium pro injuria, blanda pro ſeveris, gratiam pro contumeliâ reponendo, magna ſperes. Qui invidiam fugiendam putat, ab *opinione* fallitur. Ut enim corpus umbram, ita invidia virtutem & felicitatem comitatur. Nemo eſt, qui invidet ſtultitiæ T. Claudii, quem Antonia mater à natura inchoatum non conſummatum pronunciabat. Nemo invidet militi, qui cùm pro patria fortiter dimicandum, clypeum abjicit cum animo & ſtationem relinquit. Nemo invidet homini, qui vel luxuriâ, vel alio vitiorum genere mentem ſuam devenuſtat. Miſericordia, non invidiâ dignus eſt Tunetarum Rex Muleaſſes, cui apud Germanos atque Italos exuli & alienâ quadrâ Caroli V. potiſſimum viventi, vix tamen ſufficiebant centum aurei nummi ad pavonis unius condimenta. Tam procul à vitiis diſtat invidia, quàm longis ſpaciis à turpi honeſtum. Cùm apud Arragones, Ferdinandus puer, cum Ximenio viro cordatiſſimo deambularet, Rex Ferdinandus avus è feneſtrâ palatii eum conſpicatus, voce interiori, ſuſpiriis intercepta, exclamavit: Euge nepos, tali comite. Profectò non minus lætabile ſignum eſt bonæ indolis, converſari cum viris, quorum ſapientia cognita, & explorata morum tranquillitas, quàm peti ab invidia. Non itaque fugienda, ſed ambienda eſt invidia, tanquam gloriæ pediſſequa, dignusque gloria cenſeri debet, qui invidiam patitur. Quàm miſerè ab *opinione* falluntur voſſitatores illi, qui injuriâ ſe affici credunt, & legibus vindicandum judicant, ſi quis eos in Latina lingua alloquatur, dicens: Salve Domine Doctor, precor tibi omnia fauſta. Hîc protinus reſpondent, quid tu me tuiſſas? tuiſſa famulos tuos. At quid ais ô monſtrum hominis? Tu ſic appellari dedignaberis, quomodo olim reges ſuos appellabant paraſiti? quomodo denique ſummos mundi monarchas alloquebantur libertini aut è plebe quilibet cerdo? quomodo tu ipſe Deum Optimum Maximum appellas? Cur non, ut unum alloquar, cùm unum videam, etiamſi Polyphemo major eſſes? Liceat mihi philoſophari cum magno Eraſmo. Athonem, inquit, montem dicimus, non montes, ut ut ingens ſit. An ideò non eſt mare Oceanus, quòd vaſtè pateat? &

tem-

tempora! ô mores! Qui vix ſunt homines, iis non ſatis eſt, ſi unius hominis loco ducantur. Julium Cæſarem, totius orbis Monarcham, ita alloquebantur Romani: *Superi bene vertant, quod agis Cæſar.* Aſt homulli noſtri, qui vix ultra triduum ſapiunt, indignantur, niſi dicas: bene vertant ſuperi, quòd agunt veſtræ Strenuitates aut Excellentiæ. Quaſi verè non unum hominem, ſed Hecaten triformem aut Geryonem tricorporem alloquamur. Si fortaſſe cum muliere gravidâ aut cum ſcropha ita loquendum, faciliùs ignoſcerem. Aſt cur à Grammaticis diſtincti ſunt numeri, ſingularis & pluralis, niſi ut iis utamur? At inquis, honoris gratiâ vocabulis his ita abutimur. Reſpond. bene dicis, TE abuti his vocabulis. Nam certè, hoc prorſus eſt abuti. Non ſecus ac ſi quis ſoleam utramq; eidem induceret pedi. Sed quis hoc juris tibi donavit? An æquum eſt, ut honoris gratiâ præter veterem Romanorum conſuetudinem, jam barbarè loquantur homines? Nec eſt, ut mihi objicias, exempla hujus violationis occurrere etiam apud veteres. Illi enim modeſtiæ & invidiæ declinandæ causâ, ita quandoque loquebantur, ſignificantes ſe omnia cum collegis aliisq; proceribus communicare, omnemq; tyrannidis ſpeciem deteſtari. Et ideò credo, Reges atque Epiſcopos cæpiſſe ſcribere, nos Meleander Siciliæ Rex, nos Johannes, Epiſcopus Cameracenſis, &c. Dicam breviter. Tres inordinatæ opiniones ſunt, quæ ſunt cruenta flumina & torrentes omnium malorum. Opinio de honoribus, opinio de voluptatibus, opinio de divitiis. Ab his opinionibus, ut omnibus temporibus, ita nunc quoque orta ſunt omnia bella, cædes, diſcordiæ, lites, vaſtationes, perjuria, adulteria, proditiones, rapinæ, pacta cum Diabolo, & clades temporariæ atque æternæ. His opinionibus dum capiuntur regentes atq; obedientes, regna, populi, nationes, magnis cladibus inundantur. Memini jam, me quondam in regno quondam ſeptentrionali veniſſe in urbem quandam. Vix ad forum perveneram, cum producerentur homines quidam tam civiles, ut viatores ſarcinis aut veſtibus exonerare ſolerent. Populus feſtivè conveniebat, & cum rei à ſecundis Procuratorib. accuſati, cauſæ inopiâ marceſcerent, judices ſuffragia mittebant in urnam, quâ publicè [illegible] omnes atro colore noxios damnabant. Prodiit [illegible] ſacerdos, qui eos primò duriſſimè increpabat, quòd rem [illegible] & Romanis legib. adverſam aut fecerint, quod vitam

vitam peſſimo ocio & exitioſa licentiâ tranſegerint, quòd religionis & virtutum civilium curam nullam habuerint, quòd laborem & ſudorem aliorum depaverint, quod parentum & bonorum omnium tum monita, tum exempla conculcaverint. Denique ad ſeriam pœnitentiam & miſericordiæ divinæ implorationem eos admonebat, & ad mortem patienter & fortiter ſuſtinendam præparabat. Concutiebat illicò mentem meam præter favorem in miſeros pronum, & pœnæ gravitas & miſerorum ejulatus. Proinde ad judices dicebam; Cur his ſolis impune peccare non licet? Nonne infiniti alii ſunt malefici, qui tamen pro vinculis alia virtutis ornamenta gerunt? Illi, inquam, qui pauperes ad medullam uſque arrodunt, qui biennio aut citiùs inter tantam prodigalitatem ita diteſcunt, ut decem laborioſiſſimorum hominum ſedulitatem longè longeque ſuperent? Sed judices reſpondebant, OPINIONEM eos abſolvere. Quia, ajebant, virtutes & vitia non plus ex merito æſtimantur, quàm ex populari judicio, nihil mirum, ſi hæc quæ notaſti peccata, conſuetudo & peccantium claritas atque ſucceſſus nobilitaverunt. O quàm ſuaviter ab opinione falluntur Jeſuitæ, qui Ignatium ſuum inter ſydera collocant, & ſemetipſos reſtituere non potuerunt in poſſeſſionem eorum, quæ apud Venetos amiſerunt! Dicite mihi Auditores, quas opiniones conceperitis de Politicorum RATIONE STATUS? Juſtitia cùm deſiit in terris habitare, ſucceſſit ſtatus ratio, calamitatum mare. Quæ ſit illa, Rex Jupiter non novit, ſed noverunt eam, qui tot miſeriis patronam ſtatuerunt. Ut vobis aliquid de hac ratione ſtatus dicere poſſim, non opto mihi eloquentiam ſeu Ciceronis, ſeu Demoſthenis, ſeu Iſocratis, ſed privilegia ſtulti. Si comes aliquis palatinus mihi privilegia ſtulti concederet, dicerem, quæ Conſiliarius non vult, quæ ſacerdos non audet, quæ ſubditus ſentit & non intelligit. Exponerem liberrimè, quod in ſupremo judicio, in præſentia univerſi generis humani ab hypocritis quibuſdam promulgandum eſt. Eram aliquando in ecſtaſi, & animula mea, blandula, nudula, vagula, hoſpes comesque corporis, liberè vagabatur per omnia elementa. An eorum quatuor, vel tria, vel duo ſaltem fuerint, non ſatis recordor. Interrogate eâ de re phyſicos noſtros. Volebam numerare omnes contignationes cœli, ſed Galilæus à Galilæis, Tycho, Brahe & Keplerus, diſputationibus ſu-

is ita confundebant memoriam meam , ut fruſtrà numeraverim. Veniebam tandem ad locum, quem Purgatorium vocaverunt ab eo tempore, quo Homeri, Virgilii, aliorumq; Papiſticorum Patriarcharum vaticinia impleta ſunt à Concilio Tridentino, quod non unâ tantum tranſſubſtantiatione contentum fuit, ſed aliam quoque ſtatuendam judicavit, quâ videlicet fabulæ in dogmata mutarentur. Ibi pro loco certabant Papa Bonifacius III. atque Mahomet. Ille de veteri religione expulsâ, hic de novâ introductâ gloriabatur. Sed Mahomet ſolum Advocatum habebat Sergium, quo in concinnando Alcorano uſus fuerat. Bonifacius autem à latere ſuo habebat Jeſuitas, inter quos eminebat Bellarminus, qui eloquentia ſuâ Sergium facilè ſuperabat. Miror, an Doctiſſimus Bellarminus ipſe crediderit , quæ aliis tantâ ingenioſitate perſuadere conabatur. Dum adhuc mirabar, ex manicis cujuſdam Jeſuitæ cadebat ſchedula, cui inſcripta erant hæc verba: *Religio apud Politicos noſtros eſt arcanum manſuefaciendæ plebis, apud Eccleſiaſticos artificium emergendi & ditescendi.* Vix hæc furtivo oculo perlegeram, cùm viderem magnificentiſſimum palatium, in cujus januâ legebantur hæc verba: RATIO STATUS. Protinus interrogabam, ecquis in illo palatio habitaret? Reſpondebat Jeſuita quidam, ibi torqueri, quotquot in terris facinora ſua, quibus aut ira divina provocaretur, aut proximi calamitas promoveretur, tegerent pallio politico, dicentes: RATIONEM STATUS ita jubere. Jeſuitam itaq; omni blandimentorum genere tentabam, & per humanitatem Tuam, per omnia quæ ſacra & profana, ajebam, Te obteſtor ô pater, ut mihi definias, quid ſit RATIO STATUS? Protinus me apprehensâ manu deducebat in campos Elyſios , qui non procul à purgatorio vireſcebant. Ibi ocioſè ambulabant Philoſophi veteres & Neoterici , inter quos erant Ariſtoteles, Plutarchus, Johan-Bodinus, Cardanus & multi alii, qui ideam Reipublicæ Platonicæ examinabant. Sylva erat in confinio, raris quidem, ſed in ingens ſpacium effuſis arboribus, ſub quibus tumuli fruticum dumorumq; caligine veluti ad inſidias ſurrexerant. In his ſe occultabat Lucianus, qui interdum vehementiſſimè ridebat, dicens: miſerrimam eſſe ſapientiam, quæ ex ſolis libris hauriatur, nulla accedente experientiâ Tandem prodibat Meleander Siciliæ Rex, cujus bonitate quondam abuſus fuerat Lycogenes. Ad hunc veniebat

Johann

Johann Barclajus, qui poſtquam Dominum Regemque ſuum debito cultu propitiaverat, obiter monebat, ut in priſtinæ lenitatis ſpecie perſeveraret, ut quæ incuriæ imago res ejus antea afflixerit, jam imponeret inimicis. Addebat multa alia, de quibus taceo. Aderat alius Politicus, qui ajebat, optimum Imperatoris artificium eſſe, fingere quæ non ſunt, ut ſint, quæ eſſe debent. Hoc ajebat, maximum arcanum fuiſſe eorum, qui præfuerint Reip. Romanæ. Si, ajebat, is qui imperat, novi aliquid imponit, id quod vetus eſt ſemper obtendat. Nam ipſa mutatio, re ipsâ qualis eſt propoſita, aut periculoſa eſt aut populo ingrata. Denique Imperator majeſtatis ſuæ ubique habeat rationem. Majeſtas autem illa bene ſervata eſt, quæ nec ex benevolentia nimiâ charitatem, nec ex aſperitate nimiâ crudelitatem reportat. Semper uti occaſione debet, & eam quamvis caſu oblatam convertere in ſuam utilitatem. Hoc bene intellexit C. Columbus, qui in Jamaicâ famosâ Americæ Inſulâ, una cum militibus ſuis, (qui aliquot millia capitum erant) fame & inopia alimentorum circumventus, de vitâ & ſalute ferè deſperaverat, denegantibus Jamaicenſibus omnes omninò ſuppetias & commeatum. Commodùm illi in mentem incidit, (erat enim Aſtronomiæ apprimè peritus) jamjam defecturam Lunam. Proinde Inſulanis denunciari jubet, nî militibus ſubminiſtraturi eſſent, quæ petiiſſet, fore, ut brevi tempeſtas calamitatum rueret in illorum capita. In cujus rei teſtimonium haut multò pòſt eos Lunam obſcuratam viſuros. Minas has initio contempſerunt Barbari. Aſt cùm viderent dictâ horâ ſenſim Lunam lumine ſuo orbari, neque intelligerent cauſam horrendi ſpectaculi, provoluti ad pedes Columbi, gratiam exorarunt, & votis illius abundè ſatisfecerunt. Cæterùm durum quidem ſed non inutile eſſe ajebat, eos è republ. expellere, qui apud populum plus poſſint, quam ii, qui debeant imperare. Dicite mihi, ô Philoſophi, ajebat, quid ſit Tyrannus? Non ego eum Tyrannum voco, qui ſubditorum ingratiis invitovè populo dominatur: Nec eum, qui hoſtili manu captas & in poteſtatem ſuam miſſas gentes imperio regit: Nec eum, qui avaritiâ, luxuriâ, dolis, libidine & ira, aliisque id genus cum vitiis conflictatur. Enimverò Magnus Alexander plurimis eorum, quos ſub poteſtatem ſuam vi coëgerat, non nimis lubentibus & volentibus jura dedit. Nemo

Tyrannum appellabit Cyrum, quem Xenophon ceu exemplar propoſuit boni principis, abs quo tamen gens Babylonica per inobedientiam pluries fecit ſeceſſionem, ejusque imperium tulit refractariè admodum. Porrò, qui populos armorum & dextræ robore devictos, jure gentium ſibi ſubmiſerunt, eos hoc quidem facto Tyrannos cenſendos nemo affirmabit, qui paululum ſupra Parmenonis ſuem ſapit. Ita neque Rex, neq; Princeps eſſet ullus; Omnes tyranni eſſent, qui per militiam remq; decusque parare ſtudent. Ita Tyrannus olim fuiſſet Julius Cæſar:

——— Dum Magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorq; volentes
Per populos dat jura, viamq; affectat olympo.

Vitia quoq; quædam privata neq; Tyranno quà talis, conveniunt (quippe, qui eſt perſona publica) neq; ejus eſſentiam abſolvunt, ſed natura ſunt poſteriora. Ille demum mihi verus Tyrannus eſt, cujus omnis cura, omnis votorum ſumma illuc redit, ut pacem ſalutemq; publicã ſubvertat aut negligat, ſui ipſius emolumẽti gratiâ, qui cõmodis propriis divina humanaq;, fanda atq; infãda, omnia poſt deniq; ponit. Eam ſalutis publicæ corruptelã ac everſionem comitantur tanquã umbra corpus, aut fumus flammam, plura alia facinora, inviſa ſuperis deorum ſemper & imis. Inprimis non poteſt ad ſe pertrahere, quæ vult Tyrannus, niſi partim leges & privilegia ſubditorũ præcidat, partim viros prudentiâ maſculoq; pectore comendabiles tollat de medio. Nota eſt Tarquinii ſuperbi pragmatia, qui filium moniturus, ut Gabiorum principes vitâ exueret, in horto demetere voluit capita papaverum, nihilque præter hoc filio juſſit ſignificari. Neque alio conſilio Caligula optavit omnium civium unam eſſe cervicem, ut eo promptius poſſent decollari. Piſiſtratus non prius Tyrannidem adgreſſus eſt, quàm in exilium miſiſſet cives potentiores. Per hæc ſenticeta cùm ſemitam ſibi paravit Tyrannus tùm porrò præcipiti ductu graſſatur ad omnia, quæ ſpe votisque præconceperat. Mox alius aderat, qui dicebat id, quod ſemel & ſeriò imperatum, ſemper mandandum & ſtrictè exequendum eſſe. Negabat enim ſtare remp. poſſe, ubi aliter imperetur, aliter pareatur. Nihil itaque imperandum, dicebat, cui ſubditi obſequium non ſunt præſtituri, quod facilè eſt expiſcari per eos, qui immiſſi in vulgus tanquam

quam

quam aliqui ex vulgo proponere poſſunt futura, & hoc pacto de futuris vulgi animos explorare. Cæterùm Imperator nihil magni, quòd cum majeſtate conjunctum eſt, per illos exequi debet, qui majeſtatem non habent, aut commodatam ſibi majeſtatem tueri non poſſunt. Non denique populo permittere debet licentiam inquirendi in cauſas & rationes eorum, quæ imperantur. Ubi ſingulis quærere licet, imperium corrumpitur. Addebat arcanas quasdam artes, quibus & regentes & obedientes uti poſſint vel in ſtatu Monarchico, Ariſtocratico vel Democratico. Senili quoque ambitione philoſophabatur de mediis, quibus augeri poſſit publicum ærarium, quibus diſciplina militaris conſervari poſſit. Denique dicebat præmia & pœnas eſſe nervos rerump. adeoque cautè, jucundè, citò, eſſe diſtribuenda. Semper excogitanda ſunt præmia, dicebat, ad condecorandas erectas animas, quæ quidem honorifica accipientibus, ſed ærario publico non admodum nocent. Quid laurus, quid gramen, quid ſtatua potuit apud nobiles Romanos? Id certè, quod apud diſtortas mentes poteſt crux, furca, mulctatio bonorum. Cæterùm ubi quis peccavit, & metuendi motus ſit, ſi puniatur, conſultum eſt excogitare pœnam, quæ ſpeciem honoris habet. Sic Juvenalis, cùm peccaſſet adverſus Domitianum, ſub ſpecie & honore Tribuni militum relegatus eſt in Ægyptum. Ejuſdem denique eſſe debet, præmia & pœnas inferre. Nam, qui ſolus præmia donat, ſolus omnium favorem; qui ſolus pœnas infert, ſolus omnium invidiam in ſe ſolet derivare. Plura alia addebat, at mihi idem contingebat, quod ignavis Studioſis, qui nunquã ſuavius dormiunt, quàm vel in Collegiis vel in concionibus ſacris. Nam ut ingenuè fatear, tædio audiendi afficiebar, adeoque furtim me ſubducere conabar, cùm Jeſuita me revocaret, & ut auſcultarem, admoneret. Imò, ajebam, ô pater, hæc & alia jam dudum legi partim apud Clapmarium, partim apud interpretes Taciti, quædam etiam audivi in Scholis Politicorum Lugdunenſium. Sed ſi quis de RATIONE STATUS diceret, omnia pronâ & vacivâ aure exciperem. Protinus itaque me ducebat in locum quendam amœniſſimum, ubi in precioſiſſima ſellâ ſedebat ſenex quidam in candidâ veſte, cui limbus erat ex purpurâ qui multam canitiem ſpargebat humeris, manuque baculum tenebat, quales ex Indiâ adferri dicunt. Is cùm ſalute acceptâ & da-

 ta, vo-

tâ, vota mea intellexerat, raptim mihi deſcribebat incunabula atq; indolem monſtri illius, quod RATIONEM STATUS vocamus. Dum diſcurſus ejus memoriæ meæ jam ſuccurrunt, cogor nonnihil ſubſiſtere, & furtivo riſu proſequi vanitates, quibus mundus decipitur. Sed, hic Plato jubet ſubmiſsè ridere. Si ſcirem vos tacere poſſe, dicerem vobis, quæcunq; à ſene illo in campis Elyſiis audivi. Aſt ſi ſciet hoc alter, ſcire veſtrum nihil erit. Loquere, ajebat Socrates, ut TE videam. Ego illum videre me puto, qui hac in parte tacere poteſt. Apud Romanos colebatur Conſul conſiliorum Deus, cujus ara erat ſub terrâ, & quando conſualia, id eſt, ſacra in honorem Conſi habebantur, non modò equi coronabantur, ſed & aſini. Aſini fortaſſe ideò coronabantur, quia interdum onera portant, quæ equis portare non libet. Ara autem Conſi ſub terrâ erat, ut docerent ſapientiſſimi mortales, maximã Politici virtutem eſſe, poſſe tacere & conſilia ſua tegere. Annus nunc agitur quartus, ex quo Illuſtriſſimus Patriæ pater me juſſit docere artem loquendi. Optarem ego, ut alius doceret artem tacendi. Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum. Non ſine conſilio, natura nobis linguam unam dedit & aures duas. Aures etiam inter Deas retulit antiquitas. Fortè, quia homines hac corporis parte maximè imitantur Deos, qui audiunt quidem mortalium preces, ſed non loquuntur. Ridetis, aures inter cœlites numerari? Sed amico meo credo, viro celeberrimo, Marco Zuerio Boxhornio, qui Patavii in lapide apud Ramnuſios ſic legi ait:

AVRIBVS
BONIS DEABUS, dedicabat Petruſia Proba,
Magiſtra Galgeſti Herm. &c.

Videtis, ſolis auribus inter reliquas corporis partes contigiſſe, ut dearum numerum augerent, quia nil magis virum ornat, quàm tacere poſſe. Ita tamen tacendum, ut ALIQUANDO loquamur, ne fruſtra audiviſſe videamur. Et Fabulanum, & Ajum & Loquutium, Deos ſermonis præſides, priſci coluerunt. Ita igitur ſilendum eſt, ne pereamus, nec poſt mortem æterni ſilentii pœnam imponat Rhadamanthus. Sed quò vadit lingua mea? Dum de ſilentio verba facio, ipſe nimis loquax videor. Proinde contraham vela, & breviter

ſiter eloquar, quod liberè ſentio. Mihi optimus Politicus videtur is, qui juventutem benè erudiendam curat, & ruſticis patrocinatur. Nam ex pueris bene inſtitutis evadunt boni juvenes, ex bonis juvenibus boni viri, boni viri ſua ſponte agunt agenda. Quo ſemel eſt imbuta, recens ſervabit odorem teſta diu. Quomodo Princeps ſubditos ſuos univerſos eſſe optat, ita ſingulos in Scholis curet informari. Cæterùm ruſticis bene ſe habentibus, nunquam deficere amat pecunia, nervus rerum gerendarū, quæ nullibi felicius cuſtoditur, quàm in crumenis ruſticorum, è quibus ſuo tempore repeti poteſt. Qui hoc anno mactat omnes ruſticorum oves, anno ſequente fruſtra ſperat aut lanam, aut agnos. Si Philoſophiam hanc agreſtem atque ineptam pronunciaveritis, non repugnabo. Aſt mundus univerſus tot impletur ineptiis, ut his meis exiguum quoq; locum dari cupiam. Cæterùm ſincera atq; candida pietas, eſt omnis prudentiæ Politicæ ornamentum, dicam, an fundamentum? Si Chriſtum habes, quid tibi deeſt? Si Chriſtum propitium non habes, quid tibi prodeſt? Sit vulnus quodcunque, dummodò non ſit conſcientiæ. Conſcientiæ dico, quæ ſuo tempore rerum omnium benè & malè actarum index eſt & vindex. Meminiſſe nos ſemper oportet, quid deceat æternitatis Candidatos. Sæpè mirari ſoleo, quòd tam pauci ſint homines, imò tam pauci Chriſtiani, qui de æternitate illâ cogitent. Sed plerique omnes non tantùm non faſtidiant, ſed totis viribus inſectentur hujus vitæ caduca bona, quæ hodie arrident, ut cras deficiantur. Quæruntur opes per ſaxa, per ignes, per iratas atq; indignantes undas, per fas nefasq;, forſan cras forſan hodie relinquendæ. Ambimus dignitates, ſæpè magna cum indignitate, viliſſimis obſequiis, anxiis curis, mox turpiſſimè amittendas. Regno olim ejectus eſt Priamus, ut alius ſuccederet. Succeſſit alius, ut exemplo ſuo doceret, ſibi idem deberi, quod Priamo. Perit ſplendida quævis fortuna, cùm diu ſtetit, imò ut pereat, diu conſiſtit. Quò quis altiùs aſcendit ad culmen felicitatis humanæ, eò propius abeſt à lapſu. Summa felicitatis humanæ pars eſt, fragilitatem ejus non ignorare. Nulla unquam fuit tam potens, non dicam familia, ſed reſpublica, quæ non tandem collapſa eſt. Excipio quidem Rempubl. Platonis, quæ non cecidit, quia non ſtetit. Perituram tamen rempublicam ſuam, ſi ſteriſſet, nec ipſe quidem Plato igno-

to ignoravit. Metam enim ipſi conſtituit & periodos annorum. Nihil unquam tam excelſum eſt, ut ſupra ruinam conſiſtat. O vanas hominum curas! Sunt, qui longinquas meditantur peregrinationes, quos fortaſſè cras videbimus inire viam omnis carnis. Alii oſcula & amplexus ſomniant, mox vermibus maritandi. Alii vindictam crepant, neſcientes, ſe jam ad ſummum tribunal citari. Multi in virilis gloriæ titulis ponunt ipſam peccandi audaciam, timidosq; & gerendis rebus ineptos credunt, qui Deo obſequuntur. Illius opinionis metu haud pauci adſueſcunt peccare, magis ſcilicet, ut illis probentur, quibus virtus eſt vilis, quàm quòd ſint vitia apud ipſos in precio. Simulare, fallere & diſſentire à verbis ſuis, egregia hodie prudentiæ politicæ ſpecies putatur. Quaſi Deus mortalium regendorum provinciam, ſine ſubſidiaria vitiorum ſcelerumque cohorte adminiſtrari non poſſe voluerit. Quia pleriq; veſtrum ſunt Politici, & fortaſſe propediem vivent in aulis, dicam breviter, quid ſit aula. Aula eſt Paradiſus vulpium, infernus ſimplicium, purgatorium divitum. Totum Aulici artificium eſt, bene latere; quod eſt, ignorari; quod non eſt, videri vult. Inimicus eſt & negat, amicus videri vult & mentitur. Miſeri ipſi Principes ſunt, quia aut nunquam aut rarò audiunt veritatem. Sæpè, qui gratioſi acceptique ſunt principibus, prætextu juvandi aut monendi ſatiant invidiam, & interdum æmulos laudibus extollunt, ut maligna deinde inſerentibus ſit pronior fides. Apparet tamen occultam quandam & inſcrutabilem vim eſſe, ſive occultis aliis criminibus, ſive offenſorum ſuſpiriis provocatam, quæ proditores & adulatores illos poſt multas adulationum formas, poſt multa fortunæ obſequia principibus inviſos reddat, & votis relinquat, quæ non palàm concipiuntur. Quis crederet auditores, illi ipſi, qui ſecundi gradus nunquã ſatis patientes ſunt, qui fata hominũ diſpenſant pro arbitrio, qui ſpei timorisq; improbas leges ſcribunt, & timeri volunt ab iis, qui timent & timentur, tandem ſe præbent ſpecimina vanæ felicitatis humanæ. Principes enim tandem fatali monitu, incipiunt nominis ſui & cauſæ, propter quam purpuram geſtant, meminiſſe, & conſortes regni ſui ferre tandem non poſſunt. Et ſic homines illos non ſubita quidem, ſed ingens & veluti maturata pœna ſequi amat. Non deducam animos veſtros in Galliam, ejuſmodi exemplorum feraciſſimam,

ſed

ſed jubeo vos contemplari tempora Tiberii. Dubitârunt aliquando Romani, utrum Tiberius ſit Imperator, vel Sejanus? Sed quàm diu? Quoties tragicam Sejani mortem contemplor, in mentem mihi venit illud Poëtæ:

Arge jaces, quodq; in tot lumina lumen habebas,
Extinctum eſt, centumq; oculos nox occupat una.

Pompejum, poſtquam bello devictus eſt, miſerrimum crediderunt omnes. Sed ſi loqui debeo, quod ſentio, tum demum felix eſſe cœpit. Tum enim ambitionem deteſtatus eſt, quâ tot jam annos ægrotaverat, tum odiſſe incepit, quod amaverat, cùm odiſſe debuiſſet, tum irritas ſpes humanas & ludibria fortunæ nôſſe exorſus eſt. Miſer autem fuit Julius Cæſar, qui diutius quàm Pompejus deſipuit, ſed ut parem ferè exitum haberet. Vicit ille Pompejum, ſed magis ab ambitione victus eſt. Lethale vulnus non accepit, ſed ut paulò pòſt ultra viginti infligerentur. Victor ingreſſus eſt Capitolium, ſed ut in eo mactaretur. Diutius igitur Cæſarem *opinio* fefellit, quàm Pompejum, & proinde diutius ſibi placuit, id eſt, diutius inſanivit. Subſiſtite hîc Auditores optimi, & agnoſcite ſtuporem mortalium, qui libenter deſipere volunt, ut non niſi per mala ſua ſapere cogantur. In academiâ hâc ſuperioribus annis vixit quidam Juncker Caſpar, quem lapſæ mentis error juventuti notiſſimum fecit. Quàm pauci ſunt, qui Caſpari illius dementiam non ſuperant? Niſi quod rectius aut magis ad genium vulgi furunt, eò quoque lacrymis digniores, quòd excutere ſtultitiam nolunt, iſte non poteſt. Mundus vult decipi. De opulentis optima quæque ſperat, de pauperibus peſſima quæque metuit. Salomon habitus eſt ſapientiſſimus, quia fuit ditiſſimus. Si hodie viveret, & pauper eſſet, haberetur pro omnium ſtultiſſimo. Tradunt Marcum Curtium, prodigium illud Romanæ virtutis, ſemetipſum præcipitaſſe in foveam, ſed ut remp. ſervaret. At nos exitio noſtro ſtolidè nimis quotidiè velificamur. Per abrupta & periculoſa incedimus, & hoſpitem divinæ rationis, animum ſcilicet noſtrum, cogitatione & deſiderio viliſſimarum rerum fatigamus. Da gehen wir auff Steltzen, vnd meynen, wir wollen der Strümpff ſchonen, vnd fallen hernach gar in Dreck. Idem nobis contingit, quod cani in Scholâ Æſopi, qui dum umbram ſectatus eſt, id amiſit, quod habuit. Malo non aſcendiſſe gradus, quàm ex

iis præcipitati. Fragilis eſt principum, fragilior populi favor. Exordium magnæ calamitatis eſt, tam lubrico fundamento fidere. Intuemini unicum Sejanum, qui tot ſcelerum fictor, præceptor tyrannidis, eluſor principis, major ipſo & ejuſdem Imperator, carnifex populi, carnifex Senatus fuit, per quem tot magnos & innocentes viros in carcerem duxêre ſceleſtæ manus, qui tandem à Principe, à populo, à fortunâ deſtitutus, præter atrocem, miſerabilem, horrendum exitum, poſt tantam magnitudinem invenit nihil. Subverſæ ſtatuæ, tractum unco cadaver, & omnium ludibrio expoſitum fuit caput paulò ante adoratum. Fieri & hæc & multa alia, legimus & audimus, & vota tamen noſtra in exitium noſtrum dirigimus. Si æternitatis memores eſſemus, deſideria noſtra minus minusque calerent in res tam fluxas, tam inſtabiles, ſed Deum proximumque cogitantes, de ludibriis fortunæ triumpharemus, & cœlum caperemus, antequam terram relinqueremus. Fatebor vobis, Auditores, me inter hujuſmodi meditationes, tædium quandoque capere vitæ & conditionis meæ. Scio, multa quoque in Academiis agenda eſſe ineptè. Sed ea tamen ſeculi hujus inſania eſt, ut pars ſapientiæ eſſe credatur furere cum inſanientibus, & ſeculi moribus morem gerere. Si fata mea fingere atque refingere poſſem pro lubitu, optarem me Paſtorem ruſticorum eſſe, & in ejuſmodi vita ſolitaria Deo inſervire, & vanitates mundi irridere poſſe. Omnium rerum carentiâ æmularer Deum, nec voluntatem mihi reſervarem, ſed ex divino beneplacito dependerem. Nec ſodalitio aut converſatione indigerem. Nam humili caritate & ſublimi fide amplecterer ipſum Deum, & indiſſolubiliter ei junctus eſſem. Ubi ubi Deus eſſet, ego cum illo eſſem, Mallem in infimis eſſe cum Deo, quàm in ſummis ſine ipſo. Rex eſſem in tali ſtatu. Imperarem nimirum animæ meæ, ne vel exteriores, vel interiores ſenſus liberè exorbitarent. Imperii mei arcana eſſent preces, patientia, ſilentium. Corona mea eſſet animi tranquillitas. Quid nunc ſumus, niſi inquieti ſervi? Varro, doctiſſimus Romanorum, olim collegit 288 Philoſophorum opiniones de ſummo bono. Miſeri illi ſapientes quæſiverunt, quod non invenerunt. Cur? quia ſummum bonum quæſiverunt in imo, non in ſummo. Nihil autem ſummum eſt præter Deum. Ergò Dei amicitia frui, eſt ſumma beatitudo. In mundo nil excellentius eſt homine. In ho-

mine nil præſtantius eſt animâ. In animâ nil exquiſitius eſt ratione. In ratione, nil præclarius eſt intellectu. In intellectu, nil precioſius eſt ſapientiâ. In omni ſapientia, non eſt nobilior quàm Theologica. Cùm oporteat hominem, quàm diu vivit, in negocio aliquo occupari, certè nullum honeſtius, nullum Deo acceptius, nullum Reipub. utilius, nullum homine Chriſtiano dignius eſſe poteſt, quàm Eccleſiæ Dei inſervire, Chriſti Legatum eſſe, adminiſtrare ſacramenta, prædicare in nomine Chriſti pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, idque & publicè & privatim, confirmare imbecilles, erigere afflictos, conſolari mœſtos, reducere in viam errantes, ſui quemque officii admonere, pœnitentes authoritate Chriſti abſolvere, palàm ſceleſtos & flagitioſos è ſacra communione ejicere, & aliis præterea in rebus Apoſtolicum munus exercere? O fortunatos nimium Eccleſiæ miniſtros, ſi officii ſui dignitatem & prope divinitatem quandam intelligerent, & ex veritate, non ex vulgi *opinione* æſtimarent! Si cogitarent, ſe eſſe divinæ voluntatis interpretes, Apoſtolorum ſucceſſores, Angelos Domini exercituum, paſtores & curatores animarum & vicarios Chriſti in docendo. Si C. Valerius Flaccus adoleſcens luxu perditus, poſtquam animum ejus cura ſacrorum & ceremoniarum cepit, ita repentè exuit antiquos mores, ut propter ſanctitatem vitæ nemo illi comparari potuerit: Quidni hoc multò magis efficerent Religionis Chriſtianæ ritus, myſteriorum undique pleniſſimi? O quam glorioſum erit in conſpectu S. S. Trinitatis, ſi coram tribunali ſupremi judicis, tot animæ ſalutem ſuam uni propemodum Paſtori acceptam referent. Imò non Paſtori, ſed gratiæ Dei Paſtori datæ. Hic dicet, ſe à Paſtore monitum vitam emendâſſe; alius ſe à deſperatione ab eodem ad ſpem revocatum affirmabit; alius ex inferorum faucibus raptum, alius ab errore in viam reductum ſe dicet, alius alia commemorabit. Vererer, me non ſatis regere poſſe igneum animum hunc, ſi ludere inciperem in ineptiſſimos ſocios illos, qui ſacræ Theologiæ addictos, per contemptum Schwartzmäntel & Catechiſmus Brüder appellare ſolent. O quàm factu difficile, me abſtinere à ſatyrâ, quâ ſocii illi riſui hujus & futuri ævi poſſent exponi! Certè in Hiſpaniâ, Italia & paſſim apud Pontificios Nobiliſſima quæq; ingenia ſtudio huic conſecrantur. Quid ubi tandem imaginaris, ô monſtrum ho-

minis? Tene pudebit vivere in officio illo, in quo vixit filius Dei, tuus totiusq; mundi ſervator? Non ſemel quoq; Politicorum quorundam, (nam ad hos cura hæc devoluta eſt) imprudentiam tacitè notavi, qui interdum Eccleſiis ruſticanis præficiunt Paſtores aut admodum juvenes, aut indoctos. Quaſi verò Chriſtus non æquè pro animabus ruſticorum mortuus ſit, quàm pro civium aut Magnatum. Homines illi nec amplitudinem, nec dignitatem muneris hujus, nec perſonæ, quam Paſtor ſuſtinet, gravitatem, nec rei ipſius difficultatem ſatis ponderare videntur. Alteris enim ætatis immaturitas & rerum imperitia, alteris ruditas & inſcitia docendi, utriſq; inopia judicii impedimento eſt, quò minùs aut habere autoritatem ullam apud gregem ſibi commiſſum, aut officio ſuo uſquequaq; ſufficere poſſint. Hinc contemptâ perſonâ, contemnitur officium. Et contemptus officii illius, eſt certiſſimum indicium perituræ Reipublicæ. Troja peritura primùm perdidit deos ſuos. Dixi aliquando, neque me dixiſſe pœnitet, quod Reipubl. plus proſit bonus Ludimagiſter, quam bonus Conſiliarius. Schola enim theſaurus & fundamentum eſt utriuſque Politiæ. Dum hoc dico, dum cogito, quàm negligenter theſaurus ille habeatur ab iis, qui ſummæ rerum præſunt, neſcio, quo grandi tumultu animus impleatur meus. Libet mihi incendere facem Diogenis, & quærere homines. At quales homines? Sacerdotes, qui Chriſtum imitari; JCtos, qui proximum diligere; Medicos, qui temperantiæ ſtudere; Philoſophos, qui ſeipſos noſſe; Politicos, qui mundum contemnere; felices, qui carnem domare; Chriſtianos, qui crucem patienter ferre, & futuris inhiare VOCE ſimul & EXEMPLO doceant. VOCE dico & EXEMPLO. Nam duo hæc rarò conjunguntur. Dicite mihi, Auditores, MUNDUS BONUS, annon maximum eſt paradoxon?

Si per anſerem Martinianum, ad cujus ſacra funebria fortaſſe redire mavultis, ad quæſtionem hanc vobis non integrum eſt reſpondere, impellam animo redire, ubi DEO volente plura dicam & fortaſſe meliora.

Quotidianum votum

AUTORIS.

Domine, da mihi noſſe TE, noſſe ME, noſſe

MUNDUM.

ADLE

AD LECTOREM.

SALVE LECTOR BENEVOLE, LECTOR AMICE.

TImidâ manu tibi trado primam meam diſſertationem de opinione, quam ſi tibi non diſplicuiſſe intellexero, non ſolum plures de hac materiâ accipies, ſed & Caſſandram meam. Caſſandram dico, non ſine dentiſcalpio aut unguium morſu conſcriptam. Sin TE ineptiis his offenſum audivero, omnia, quæcunque vel de hac, vel de ſimilibus materiis per otium concepi acerræ imponam, & convocatis amicis quibuſdam, Vulcano immolabo. Si putas, me mores ſeculi deſcribendo, tuos ſtatim tangere, opinio TE vehementer fallit. Generalis de vitiis diſſertatio, ad nullius perſonæ pertinet injuriam. Opto nullos eſſe, in quos & hæc & plura alia congruant. Aſt, ſi nunc tales nulli ſunt, quod faxit Chriſtus, tales olim fuerunt, & in poſterum fortaſſe futuri ſunt. Si quis hujuſmodi non eſt, nihil ad ſe pertinere cogitet. Sin agnoſcit malum ſuum, ſe admonitum putet. Quæris, cur quandoque Germanica immiſceam? Ut ſcias, me utramque linguam intelligere. Omnia ut raptim animo meo occurrerant, in chartam conjeci. Quæ deinde corrigere nolui, quia ingenium meum non amat limam. Quia de Germanis loquor, & in Germaniâ vivo, volui quoque Germanico idiomate quandoque uti ut eò melius vulgi opiniones exprimerem. Quotusquisque philologorum eſt, qui non ſcripta ſua ſubinde farcit proverbiis Græcorum? Græca autem lingua neutiquam nobilior eſt Germanicâ. Et crede mihi, ſi periiſſent Chiliades Eraſmi, multi in citandis ſententiis Græcorum non eſſent adeò prodigi. Dicam tibi, Lector, quâ occaſione venerim ad

hanc materiam tractandam. Conſtitueram aliquando pro lectione publica diſſerere de materiâ quadam graviſſimâ, quæ diu mentem meam ſuſpenſam atque ſolicitam habuerat. Cum Collegium intrarem, veniebat unus & alter, non ſecus ac ſi comitandum eſſet funus alicujus pauperis. Irâ accendebatur animus meus, moleſteq; ferebam, ea, de quibus ingenium meum tot noctibus occupatum fuerat, effundenda eſſe coram tyronibus illis, qui per ætatem non intelligebant materiæ ſcrupuloſitatem. Itaque aliud ſimulans, domum redibam, & meditabar, quâ arte juventutem ſtimulare poſſim ad majorem diligentiam. Valvis templi affigebam Programma, in quo pollicebar, me dicturum de materia nunquã ab auditoribus meis vel viſa vel audita. Quemadmodum cùm moritur dives, concurrunt undiq; cives, ita Programmate hoc lecto, undique convolabant tot viri & juvenes eruditi, ut non crediderim Marpurgum tantam literatorum copiam poſſidere. Cùm in Cathedram venirem, viderемq; omnes avidos eſſe ad audiendam videndamq; rem novam, è vagina educebam cultrum meum novum, quem nemo eorum viderat unquam. Sic denique animum meum diffundebam ad omnes vitæ humanæ ſtatus, docens mundum univerſum falli opinionibus. Si jocos quoſdam immiſcui, veniam mihi impetrabit temporis illius ratio. Erat enim Feſtum Martini. In Mercurialibus apud Cretenſes, in Sacea feſto apud Babylonios, in Peloriis apud Theſſalos, in Saturnalibus & Nuptialibus apud Romanos, libertas erat eloquendi quidlibet. Quidni conceſſum eſſet & nobis, res graves quandoque diffindere ejuſmodi amœnitate? Vidi in diverſis Germaniæ partibus, quòd Jean Potage, Medicaſter quidam circumforaneus, natione Gallus erecto publico theatro vendiderit unguenta quædam. Ut verò porro populum citius convocaret & falleret, variis luſus comicos præmittebat. Sæpiſſimè prodibat in thea-

trum